G Lachmann

DE FONTIBUS HISTORIARUM T. LIVII

COMMENTATIO PRIOR.

SCRIPSIT

FRIDERICUS LACHMANN
DOCTOR PHILOS. PRIVATIM DOCENS IN GEORGIA AUGUSTA.

COMMENTATIO DE SENTENTIA AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS GOTTINGENSIS PRAEMIO REGIO ORNATA D. IV. IUN. CIƆIƆCCCXXI.

GOTTINGAE
TYPIS HENRICI DIETERICH.
MDCCCXXII.

1822

ARGUMENTUM.

§. 1 — 5. De aliis qui hanc rem tractavere vel attigerunt — quam late pateat quaestio et quomodo accurate institui possit — de Livii consilio ac fine praesertim in priore historiae parte quatenus secundum haec fontes elegerit et iis usus sit.

Caput I. De Livianae historiae fontibus eorumque praestantia. §. 6 — 35.

Sect. I. de monumentis historicorum aetate antiquioribus quatenus ea adhibuerit vel neglexerit. §. 6 — 9.

Sect. II. de quibusvis aliis scriptis praeter annales. §. 10 — 14.

Sect. III. de annalium vel historiarum scriptoribus. §. 15 — 35.

Pars I. De delectu scriptorum quem adhibuit. §. 15 — 23.

1. qui et quales fuerint quos sequendos sibi elegit. §. 15 — 22.

2. quos neglexisse videatur. §. 23.

Pars II. Quem aut quod genus scriptorum in singulis historiae partibus sequatur ex ipsius testimonio et aliis indiciis disquiritur. Lib. I — X. §. 24 — 35.

§. 1.

In veteribus historicis, praesertim iis, qui res tempore et loco ab ipsis remoto gestas descripserunt, testimoniorum quibus nituntur et rationis ac modi quo iis usi sunt accuratam cognitionem non solum ad iudicium de scriptore ferendum, sed ad fidem rebus narratis statuendam necessariam esse apparet. Tamen quaestio de hac re et difficilis et in singulis scriptoribus repetenda recentiorum diligentiae fere relicta erat. Et non ita pridem in Diodoro ut in Aeneide et Plinianae hist. nat. parte Heynius, in Iustino et Plutarcho Heerenius, qui Straboni iam hanc operam Hennickii specimine promissam et inchoatam magis quam praestitam navat, in Appiano Schweighäuserus, in Tacito Meierotto et L. Völckel, Gattererus et Larcherius in Herodoto, et tres viri in Eusebii hist. eccles. [1]) vario consilio atque eventu eam instituerunt.

§. 2.

Livii quoque in hac quae nunc superest historiarum parte fides et auctoritas cum ab antiquioribus quos sequitur tota pendeat, tamen in eo haec disquisitio diu neglecta est. Multi quidem de eius historiae virtutibus ac vitiis vel singulis vel universis et saepe quidem cum iniqua laudatione aut vituperatione iudicaverant, et de ratione qua diversis scriptoribus usus sit nonnulla erant et a Livii editoribus inde a Glareano, et a Perizonio (in animadverss. hist.) Pighio (in annalibus) Dodwello

1) De Dionysii quoque fontibus dissertationem ante hos quinque annos quaestione Havniae proposita scripsit N. B. Krarup sed nondum edidit.

(de cyclis et chronolog. Dionys.) aliis alibi bene observata. Tamen ii potissimum, qui inde a Puillio et Sallierio deinde Bellefortio de historiae Romanae antiquioris veritate disseruerunt, ad hanc quoque quaestionem propius accessere, quamquam nec a *Bellefortio*, (de l'incertitude etc. c. 12. cf. p. 196. et 201. Républ. Rom. t. I. introduct. §. II.) nec ab antiquioris historiae propugnatore *Saxio* in prolixa commentatione (Miscell. nov. Lips. Vol. II – IV.) satis accurate tractata est.

Deinde praeter alios, qui hoc argumentum magis perstrinxere, quam data opera ei immorati sunt, [inter quos eos quoque esse miramur, qui singulos libellos de Livii fide historica scripserunt, *Ioecherum* (Lips. 1743.) et qui Livium contra hunc defendit *Eschenbachium* (Lips. 1773.)] e Livii editoribus praecipue *Crevierium* (in praefat.) et *Rupertum* (in prooem. p. XVI. seqq.), inter Romanae historiae scriptores *Levesquium* et *Micalium* [2]), memorandus hic est *I. H. L. Meierotto*, qui in secunda trium dissertationum de Livio Berolin. 1796 – 1798. fol. editarum scriptores a Livio laudatos diligentius, quam a Fabricio (biblioth. Lat. de Livio §. I.) factum erat, collegit, et de Livii diligentia ac fide disputavit, sed vel ob id minus accurate, quod de toto opere in universum iudicat, et in iis quae obvia et a Livio ipso indicata erant fere subsistit.

Post hunc *Chr. Kruse* in duarum commentationum de fide Livii (Lips. 1811.) priore §. 3. de fontibus Livii locutus est, eumque vetustos scriptores omnes inspexisse, fide dignissimos sequutum esse contendit magis, quam quorumdam nominum enumeratione probavit, (p. 11.) in altera §. XV. antiquiora monumenta a Livio fere neglecta affirmat.

---

2) in: histoire critique de la republ. Rom. et eiusdem et Larcherii commentatt. de Rom. hist. in memoires de l'institut national. cl. histor. t. II. 1815. Micali l'Italia avanti il dominio dei Romani.

Denique post *Niebuhrium*, qui Livium quoque severiori iudicio subiecit et in singulis rebus testis advocabitur, et censorem eius *A. W. Schlegel* in annalibus Heidelbergens. 1816. qui quaedam iniqua nec satis probata de Livio observat; *Wachsmuthius* quoque in historia Romana, p. 32 seqq. ubi de historiae Livianae fide disputat, de ratione, qua auctoribus suis usus sit, quaedam bene observavit.

§. 3.

Rem igitur aggressi non intactam quidem ab aliis, nondum tamen ea qua debuit cura ac diligentia tractatam ex Amplissimi Ordinis praecepto priores X libros singulari examini subiecimus, cum in ceteris qui supersunt Livius aliis fontibus iisque alia ratione usus sit. Difficiliorem esse hanc disquisitionem vel ob scriptorum a Livio adhibitorum multitudinem, quorum nullus, ne ita quidem integer, ut is quem in altera sequitur Polybius, nobis servatus est, eamdem tamen, cum de magno Romanae historiae spatio partim dubitationibus maxime obnoxio partim paene ab unius Livii auctoritate pendente instituatur, utilitate se commendare apparet.

§. 4.

Cum igitur tam ex auctoris ipsius professione, quam rerum indiciis et coniectura, praesertim scriptorum si qui supersunt comparatione perspiciatur, quinam et quomodo adhibiti sint, utraque ratione in Livio quidem uti licet, posteriore praecipue in prioribus quinque libris, in quibus rarissime nominantur auctores, conferri possunt alii historici et ipsorum, quos Livius adhibuit, fragmenta, quae de antiquissima historia plura restant: priore in altera operis parte, ubi Dionysio et Plutarcho silentibus, fragmento vix uno et altero superstite, saepius a Livio fontes indicatos laetamur. Utraque tamen ratione caute utendum est. Livius enim, ut fere veteres, non ambitione

quidem et gloriae studio, sed vel diligentiae in omnibus investigandis perpendendisque vel veritatis saltem fideique conscientia ductus, nec initio libri, ut Dionysius ille de fide obtinenda sollicitus, (cf. prooem. et l. IV. Dionys. c. 6. VII. 66.) eos, quos sequutus erat, enumeravit, ne aliorum testium multitudine potius quam suis moribus fidem sibi quaesivisse videretur, nec in singulis rebus ad auctores provocando orationis elegantiae officere voluit [3]), quippe qui magis Graecorum historicorum exemplaria, quam Alexandrinorum curiosam diligentiam imitabatur, sed in antiqua et fabulosa historia nullum, postea aut in dissensu auctorum suisque dubitationibus, aut in rebus ab uno tantum expositis, scriptorum nomina afferre solet, ut nec qui semel commemoratur aliis quoque in locis adhibitus, nec qui saepissime laudatur ab eo omnino praelatus esse videri debeat. Aliorum autem scriptorum et testimoniorum comparatio, ex qua praecipue in narrationum varietate interdum de Livii fontibus aliquid coniici potest, eo quod plures eadem, saepe verbis quoque iisdem (cf. e. c. Gell. V. 24. Macrob. I. Sat. 4.) narravere, lubrica redditur, ut cum priori ratione ubique coniungenda sit et ita eam confirmet et suppleat. Et ubi aperta desunt indicia per accuratiorem veterum scriptorum cognitionem e fragmentis in nemine eorum quibus Livius usus est plane deficientibus et aliis testimoniis hauriendam interdum ex ipsa narrationis indole auctorem agnoscere licet.

Nec minor horum fragmentorum usus in altera quaestione, de modo quo scriptoribus usus sit, in qua e ratione qua Polybium adhibuit nonnisi caute concludi debet, et tempus et locus et reliqua quae ad ingenium et animum eius informandum con-

3) Scribebat autem reipublicae historiam fontibus usus nec ignotis nec praeclusis, ei qui res singulos spectantes conquisivit diligentius fontes indicandi sunt, quod recte observavit Suetonius, etiam Plutarchus.

tulerunt respicienda sunt; quo pauciora autem de Livii vita et rebus testimonia supersunt, eo magis ad impressa operi vestigia animus advertendus est, et singulis inter se et cum ceterorum scriptorum narratione comparatis et ad rerum naturam examinatis de modo quo scripserit nonnihil concludi posse videtur.

§. 5.

Nunc de consilio et fine operis Liviani videndum, quatenus is tum ad conquirenda scriptorum testimonia, tum hoc vel illo modo adhibenda contulerit. Rem veterem et vulgatam se aggredi praefatur, cum P. R. res gestas a primordio urbis describat, et revera aetas, qua annales universae historiae praesertim conficiebantur, iam praeterierat. Movebat ad tantae molis opus inchoandum praecipue studium et P. R. gloriae consulendi et suae [4]), et tam in rebus certius aliquid afferendo (cf. ll. cc. infr. §. 52.) quam scribendi arte vetustiores se superaturum sperabat. Hoc operis consilium. Singularis quidam finis et a communi omnis historiae fine alienus, qualem secuti saepe historiam perverterunt, non adest, sed praeter eam quam saepius respicit (X. 31. VI. 12.) voluptatem a lectoribus [5]) ex historia patria percipiendam, utilitatem ab exemplorum aut imitandorum aut vitandorum cognitione parabat, (cf. praefat.), quamquam nec totus ad patriae laudes dirigatur, nec historiam pro sola institutione et praeparatione ad res publicas gerendas

---

4) Huc refer quod in praefat. §. 3. de fama sua loquitur, et prooemium alius libri hoc nomine a Plinio (praefat. natur. hist.) reprehensum.

5) Et iis quibus recitabat, quamquam pauciores erant: Suid. v. Κορνούτος quem recte explicuit Thorbecke de Asinio Pollione p. 105. sq. et sane lectioni magis quam recitationi providit, unde multa etiam in verborum compositione durissima et literarum repetitionibus ingrata quae numquam ipse sibi recitasse videtur; v. apud Gronov. 31, 12. 3. et alia complura.

habeat [6]). Quod autem in hac scriptione summum fuisset, ut ab urbis origine per omnia tempora e rebus bello domique gestis, rei publicae forma et cuiusque aetatis ingenio explicaretur, quid res Romanae fuerint et quomodo mutatae sint, id quidem non plane alienum a Livii proposito fuisse videtur, (cf. praef. §. 9.), sed ut nullus annalium scriptor ante eum ita nec ipse hoc consilium, quale sit totum mente concepit, nedum ut primarium per omnes operis partes exsequutus est. Hinc et quid praecipue ex scriptoribus desumserit et quomodo iis usus sit indicari potest.

Quod priorem historiarum partem, consilium et rationem eius ad totum opus attinet, sunt, qui eam lectoribus (ut ipse in praefatione dicit) minus voluptatis praebituram a Livio ad recentiora tempora et maiores res festinante, nulla cura ac diligentia confectam putant, magis ut annales quovis modo ab origine urbis deduceret, quam quod harum rerum amore et utilitatis studio iis immoratus sit. De qua re post Sigonium plures conquesti sunt.

Livius autem Romanorum gloriae hic potissimum eminenti, lectorum utilitati, quibus hae res minus notae erant (quotusquisque enim illos annales legebat, quos Velleius excepto Catone veteres et obscuros vocat?) et quibus haec praesertim virtutis et probitatis a qua longe desciverint et rerum gerendarum prudentiae exempla proponit, antiquitatis etiam studio, quod summum in eo fuit, in hac praecipue historiae parte consulere sibi visus est, et laboris praemium hoc petere, ut prisca illa tota mente repetens, se a praesentium malorum conspectu averteret (praefat.). Itaque cum lectorum voluptati non magis,

6) Iam enim non ut Polybii tempore eo potissimum consilio res antiquas tractabant, ut praesentem rerum statum inde defenderent aut propulsarent, sed moesta quasi temporum praeteritorum ut amissi nec reparandi decoris recordatio praevalet.

quam rerum veritati et certitudini prospiciat, in hac quoque historiae parte finis et consilium eius accurato fontium dilectui et usui non fuit contrarium, quamquam singula minoris momenti et a lectorum voluptate et exemplorum utilitate remotiora non ubique pari diligentia ac sollicitudine examinare curavit. Praestantiores et ut ita dicam pragmatici historiarum scriptores, quos Scipionum aetas et sequens tulit, ut Polybius eiusque aequalis Asellio (v. eum egregie de historia scribenda loquentem ap. Gell. V. 18.) hanc rerum partem non attigerant, scriptoresque earum nec in exponendis rebus elegantes et oratione simplices ac rudes erant, ut inter eos Coelius ille excelleret, cuius candidam simplicitatem Cicero ridet negantis se nisi necessario verba traiecturum ut melius cadat aut volvatur oratio; Fannius autem cuius orationem laudat Cicero, Catulus quem celebrat, in alia rerum Romanarum parte operam posuerant, et qui proximus ante Livium has antiquas descripserat, Q. Tubero obsoleto et affectato scribendi genere usus erat. Itaque et rectius et gratius suaviusque se eas descripturum sperare poterat, sed ita ut non innumeras fabulas ab annalium scriptoribus prolatas repeteret, non abstrusas rerum causas ex antiquitatum praecipue sacrarum ac rituum obsoletorum vestigiis indagaret, quod Varro, Hemina aliique complures ante eum tentaverant, aut, Italicarum urbium origines cum Romanis coniungeret, ut a Catone, Postumio, Gellio, Hemina, licet dissimili ratione factum erat, sed annalium narrationibus usus eleganti in iis digerendis uteretur iudicio, foedissimis mythis expurgatis vulgatos et poetico populi ingenio excultos referret, in ceteris probabilia quaeque sequeretur, et res eo modo describeret, quem Graecorum exempla palaestra rhetorica et aevi sui elegantia docebant.

Cap. I.

QUI ET QUALES FUERINT LIVII FONTES.

Cum autem in iis, qui tempora sua aut a se minus remota descripserunt, ut in Tacito, Suetonio, accidat, ut multa ad fontes suos reduci nequeant, et scriptores quos secuti sint indicasse nullo modo sufficiat, quoniam alia ipsi viderunt, alia e tradito rumore et narrationibus hausere, Livius aetatum superiorum historiam scribens nonnisi locos (I. 1. pagus Troianus etc.) et monumenta rerum ipse vidit, et cum tot scriptores ante eum de iisdem exposuissent, *traditionem* et *famam* de tam antiquis rebus nullo eorum testimonio firmatam (cf. §. 25.) aliorumque narrationes (si ab eo quod ab Augusto accepit discesseris) nusquam secutus est. Itaque tribus fere haec quaestio absolvi videtur, ut de antiquis rerum gestarum monumentis, de annalibus et historiis, denique de aliis scriptis tam publicis quam privatis quatenus iis usus sit perspiciatur.

Sect. I.

DE MONUMENTIS HISTORICORUM AETATE PRIORIBUS.

§. 6.

Quoniam non ex rivulis obviis, sed e bonis fontibus, ut ipse saepius indicat, haurire voluit Livius, quaestio oritur, an rerum gestarum monumenta historicis antiquis vel vetustiora vel certiora adhibuerit, quae hoc vel illo modo diremta fidei et auctoritati eius aliquantum adiiciet aut detrahet, de industria ac diligentia etiam in aliis adhibita praeiudicio erit, et de Romanae historiae certitudine e Livio diiudicanda veram praeparabit sententiam.

Historiam quam vocant criticam et his nostris disciplinis, quas auxiliares dicimus, ita adiutam non noverant veteres, quamquam rudimenta quaedam singularum iam aderant. Veluti antiquorum temporum monumenta iam primi historiarum scriptores apud Romanos adhibuerunt, quippe quorum historia ab exilibus rerum gestarum consignationibus, quibus de antiquissimis temporibus mythi e vulgari populi fama addebantur, non ut Graeca e poeticis elementis et originibus processerat. Ex his antiquum Cincium vt diligentissimum talium monumentorum, merito a Livio praedicari etiam reliquiae librorum probant [1]). Nec recentiores prolixorum annalium scriptores omnes haec neglexerant, veluti Licinium Macrum et Tuberonem Ciceronis aequales, quorum tempore iam multa monumenta perierant, libris tamen linteis usos esse scimus. Et sunt, qui inde, quod multis locis Livius talia commemoret monumenta, nec facultatem [2]) ea inspiciendi neque investigandi ac perscrutandi studium ac diligentiam ei defuisse concludunt, eumque ex his etiam ibi hausisse contendunt, ubi more veterum scriptorum

1) Multa quidem huius generis neglecta, (conf. quae Polybius e tenebris protraxit) quaedam etiam, quia cum fastis et rebus aliunde satis creditis conciliari non poterant, ab annalium scriptoribus spreta esse, nec nisi in antiquitatum libris Cincii ceterorumque locum invenisse videntur.

2) Augusti favore, ut fere dicunt, cf. praeter Thomasinum, Mollerum, et alios qui vitam eius scripserunt, Rapinum comparaison de Thucyd. et Tite Live p. 188. Et vere talis adiutor ad multa aditum ei patefacere potuisset ut Polybio Africanus. Sed quamvis sint qui eum ab Augusto ad universam Romanorum historiam scribendam evocatum arbitrentur, (Eberhardt *schöne Wissenschaften bei den Römern* p. 224.) tamen vel id dubium est, an ante hos decem libros confectos, qui initio regni Augustei scripti esse videntur, (cf. infr. §. 23.) in principis cognitionem venerit, an serius per historiae excellentiam ei innotuerit.

raro fontes indicantium hoc a se factum esse non profiteatur [1]). Sed nec e libro IV. 7. foedus Ardeatinum ad Livii tempora pervenisse, et ab eo oculis usurpatum esse concludam [2]), quum e Licinio Macro is locus desumtus sit, nec legem vetustam VII. 3., cum fixam fuisse dicat Cincium ibi auctorem sequutus, nec IX. 5. "nominaque omnium, qui spoponderunt, exstant" de veteri monumento a Livio inspecto intelligi debet [3]), um de annalibus loquatur. Idem de foedere Neapolitano VIII, 26. de formulis I, 24, de tabula aenea VIII, 11. fatendum est: cf. et XXV, 39. Livium harum rerum ut formularum antiquarum amatorem fuisse vel crebra earum commemoratione et pretio quod earum testimonio tribuit (e. c. II, 33. XXV, 39.) probatur. In sequentium temporum historia relationes, decreta Senatus, leges, plebiscita, in aerario et Nympharum aede servata, (XXIIII, 20. cf. XXV, 5.) ut et epistolas, (XXIII, 38.) orationes, (XXXVIII, 54, XXXIX, 42, 43 et 52) rogationes (XXXVIII, 54,) testes adhibuit, etsi horum quoque multa nonnisi ex annalibus novit (XXII, 56. XXIII, 48. XXV, 5. XXXII, 31. XXXIII, 24. SC. de bacchanalibus). Talia in antiquiore historia partim rariora erant, partim a Livio neglecta et quae huius generis ab eo commemorantur, eorum notitia ex annalibus fere hausta videtur.

§. 7.

Ita publica monumenta eorumque titulos aut ex annalibus tantum novit, etiam id quod Dionysius se vidisse innuit VIII,

1) *Ruperti* in prooem. ed. p. XXXII, eadem dixerat *Ernesti* Opusc. phil. p. 76. cf. p. 81. unde ea repetiit etiam *Haberland* pro Rom. Sardiniam occupantibus 1818. p. 17.

2) Cum Sallierio in memoires de l'Academie Par. T. VIII. p. 64. (ed. 8.) et Rambach dissert. de Romana hist. incerta in sylloge dissertt. Hamburg. 1790.

3) Cum Saxio in miscellan. nov. Lipsiens. T. II. 665.

79. signum e Cassia gente datum II, 41. nisi forsan columnam aeneam (II, 33) cum foedere inscripto ipse vidit. (Cic. pro Balbo c. XXIII. [1]) cf. Dionys. VI, 95.) aut ad historiae fidem faciendam iis non utitur: IV, 20. cf. 32. ubi tamen non cum Bellefortio (de l'incertitude etc. p. 75. et 77.) eum reprehenderim tanquam monumentum ab ipso pro vero habitum parvi facientem, sed non ita omnem dubitationem eximere visus est thorax ille ne ab ipso quidem visus, ut omnium annalium testimonium (cf. nunc etiam Dionys. excerpt. Mai XII, 2.) ei postponeret; et revera eius inscriptio aut mendax aut perperam explicata erat (cf. Perizon. animadv. hist. c. VII. p. 292. sqq. Harles). Columnam (II, 33) non (ut Levesque hist. I. p. 143. contendit) a Livio primo, sed iam ab aliis ad annalium narrationem corrigendam adhibitam esse, ex Dionysio, qui Livium ignorans illos sequitur (cf. Plut. Coriol. c. 6.) et e Livii verbis l. c. apparet.

Nec *tabulas triumphales* ipse inspexisse videtur, etsi plures supererant (Fest. v. navali. cf. Brisson. de form. p. 353. Marini atti dei fratelli Arv. I. p. 37.). Quinctii certa tabulam (VI. 29.) quam Cincius ipse vidit (Fest. v. trientem.) *fuisse* dicit, eiusque argumentum ex annalibus parum integrum affert. "His *ferme* incisa literis fuit." An Aemilii tabulam (40, 52.) quae Attilii Fortunatiani tempore adhuc exstabat (p. 2679.) ipse viderit, an huius et Sempronianae (41, 28.) argumentum ex annalibus descripserit incertum est. Mihi posterius vero similius, unde facile explicatur, quomodo metrum Saturnium tam corruptum sit. (cf. Hermann. Elem. metr. p. 616. Walch emend. Liv. p. 254 sq.)

---

1) Cicero tamen l. c. dicit columnam nuper incisam — *fuisse* meminimus, (si accurate loquitur.)

Locos et res, quae supererant antiquitatem illustrantes saepius commemorat, e. c. I, 26. 48. V, 40. VIII, 20. plerumque tamen ubi in annalibus quoque mentio eorum facta erat I, 36. II, 13. VI, 4. etc. ad Historias examinandas iis fere non usus est, ut nec ceteris, quae non directe historiam spectant.

E *legibus* regiis, quae a XII tabb. diversae supererant, nihil affert. Legibus XII tabb. quas sine dubio noverat ad historiam diiudicandam non usus est, (lib. III.) nec Servii Tullii commentarios (cf. infra ad l. I, 43.) Augusti tempore superstites, nec leges tribunicias (Fest. v. aliuta et sacer) ipse inspexisse videtur, sed legum quoque argumenta subinde ab eo memorata ex annalibus, ut alicubi ipse indicat, hausit. Hi ubi destituunt ipse tacet aut non accurate loquitur, ut de legibus Liciniis, quas numquam legisse videtur; ut de Icilia, quam de *publicando* Aventino latam non recte dicit, III, 31. cum tamen haec ipsa columnae aeneae inscripta in Dianae templo superesset, unde Dionysius (X, 32.) accurate legis argumentum affert; ut de foedere Latino, cuius formulam debemus eidem Dionysio VI, 95.

Libros linteos, publicum [1]) monumentum in aede Iunonis Monetae a duumviris, ut videtur, servatum, (a Dodwello praelect. Camdenian. p. 654 sq. cum Pontificum annalibus perperam confusos) ibi tantum commemorat, ubi vel Macer vel Tubero iis usus erat: IV, 7. et 23. ex quo loco apparet, ipsum eos inspicere non potuisse, itaque c. 13. et 20. quoque ex alterutro,

---

1.) Plinius quidem privata monumenta linteis confici dicit H. N. 13. 11. sed cf. Symmach. IV. ep. 34. Vopisc. Aurel. c. 1. et 8. et in cod. Theodos. commemorantur leges in linteis mappis scriptae per omnes civitates Italiae proponendae.

non e libris ipsis hausisse videtur [1]): l. XXXIX, 52. magistratuum libris ad refellendum Valerium utitur. An libros magistratuum, quos cum annalibus priscis citat et (IV, 7.) [2]) a libris linteis accurate distinguit, ipse inspexerit, an hic quoque Licinium paullo post laudatum sequatur dubium est. Nec *pontificum annales* adhibuit, (cf. quaedam in excurs. II.) qui in mythis exponendis prolixi in Coss. historia breviores fuisse videntur [3]).

§. 8.

Nec recte inde, quod Livius talia monumenta non contulit, ea tum non superfuisse cum Levesquio aliisque concluseris. Quamvis enim ex iis quoque, quae urbe incensa in capitolio aut a sacerdotibus servata erant, aut hac clade seriora sunt, nonnulla etiam post Polybium (cf. III, 22 sq.) perierunt, capitolio deflagrato, in quo per totum templum in parietibus et aris fixae erant tabulae [4]); (cf. Liv. VI. 4. XXV. 39. Dionys. IV. 62. Plin. XXXV. sect. 45. Solin. c. 8.), atrio libertatis in quo anti-

1) Incertum, an Livii tempore superfuerint, certe e Dionysio (a Saxio Miscell. nov. Lips. I. 2, 659) parum probatum est, quia is ibi (XI, 62.) Licinium Macrum nomine eius non addito sequitur. cf. Liv.

2) Fortasse et c. 13. ubi legendum videtur: quosque linteos h. e. et quos.

3) Non enim cum annales *antiquos* laudat de maximis illis intelligendum est cum Sallierio, Hookio, aliis. Et haud scio an recte Beckius in epicrisi de H. R. antiquae fontibus Lips. 1812. p. X. ad hos etiam referat ea quae ap. Gell. VI, 7. II, 11. Varron. L. L. IV, 10. Plin. 34, 6. ex antiquis annalibus afferuntur.

4) Aedilibus inspectoribus, Liv. 26, 24. Polyb. III. 26. Appian. Syr. c. 113. Cic. Philipp. II. 36. in ipso Capitolio, ordine circa literis notisque designato, quaedam etiam in aris (cf. inscriptionem a Lipsio vulgatam ad Tac. II. Hist. 100. et aliam ap. Maffei. Ist. Diplom. I. I. 12. 30. et Gronov. in Ioseph. Havercamp. I. 1. p. 706.) non in singulari tabulario, ut Donatus, Nardinus al. statuunt: post capitolium restitutum a Sulla, tabularium conditum est; (inscript. ap. Gruter. 170. 6. cll. cum Gell. II. 10.) Praeterea multa in aerario Saturni servabantur, ut e Livio 39, 4. et al. constat.

quae leges et tabulae servabantur incenso, (Fest v. probrum) denique aede Nympharum combusta (Cic. pro Milon. 27. pro C. Rabir. c. 2. Parad. 4. pro Coel. c. 32. cf. de Nat. D. III. 30.) tamen multa vel ad Macri et Tuberonis vel ad Augusti tempora pervenisse satis constat, nec solum regum et magistratuum leges (praeter alias illam antiquam Horatiam Gell. VI. 7.) libros censorios, statuas quasdam etiam cum elogio, (Dionys. II. 66. et al.) inscriptiones, ut antiquam illam Plin. 16, 44. tabulas triumphales, sed etiam, quae maxime ad historiam spectant, foedera [1]), quae neglexisse Livio valde obfuit: et Suetonio teste (Vespas. c. VIII.) postea in capitolio deflagravit instrumentum imperii pulcherrimum et vetustissimum, quo continebantur paene ab exordio urbis SCta et alia: cf. Quintil. VIII, 2. [2]). Et quum alia publica et privata multa superfuisse probabile sit, iam ex his quorum mentio exstat apparet, Livium, cuius tempore de harum rerum antiquitate facilius ac tutius iudicari poterat, multa neglexisse, quibus diligenter examinatis ad annalium narrationem vel confirmandam vel refellendam et tot dubitationes, quibus anxius saepe desperat, solvendas uti potuisset.

§. 9.

Quaerenti haec monumenta illis temporibus nondum occultari coepta non defuissent, sed nec Cossi clypeum, quod

---

1) *Latinum* certe (Fest. v. nancitor. Dionys. IV. 55. et 26.) *Gabinum* (IV. 58. Fest. v. clypeus,) *Sabinum* (cf. Horat. epist. II, 1, 24. Dionys. III. 33.) ad Livii aetatem perdurarunt.

2) Vid. de his praeter *Niebuhr* 1, 175. *Ryckius* de primis Ital. incolis §. X. *Perizon.* dissert. de urbe Rom. p. 694 seqq. *Beck* praefatio ad Ferguson histor. et accuratius in epicrisi supra citata. *Saxius* miscell. nov. Lips. T. II. pag. 627 — 712. quae collectio sedulo sed nullo iudicio ac dilectu facta. *Wachsmuth*, et qui nuper hanc rem tractare incepit Elvers *Beyträge zur Rechtslehre* etc. 1820.

tamen Romae esse sciebat, inspicere ipse curavit (IV, 20.), nec ea quae apud alios scriptores invenire poterat satis diligenter conquisivit, ut antiqua foedera Punica et tabulam Laciniensem apud Polybium. Nec vere puto ad eum excusandum afferri, quod priores X libros antea quam ad urbem accesserit Patavii scripserit, quod nuper quoque Kruse l. c. p. 46 sqq. probare studuit; rem, si vera esset, in iudicio de hac historiae parte ferendo non negligendam. Cum autem nec Patavinitatis opprobrio, (de quo post multos nuper bene iudicavit Thorbecke de Asin. Poll. p. 138 sqq.) nec argumento ab antiquae linguae ignorantia ducto, de quo postea dicemus (§. 51.), nec eo, quod notitiam illam ab Augusto acceptam historiae iam scriptae serius (IV, 20.) inseruerit, res probetur, (potuit enim post historiam scriptam etiamsi Romae scripsit hoc ab Augusto audire) nec Euganeis Patavina volumina chartis ap. Sidon. Apoll. ita explicari debeant, tum Romae scribentem et Romanum civem municipii [1]) oblitum prodit totius operis indoles, (cf. praef.) Romanorum annalium, quos sibi fortasse bibliothecis publicis quoque adiutus comparavit, copia, et tot loci, quot postea insertos esse nemo credet, quibus aut de partibus urbis [2]), aut de sui temporis institutis et rebus Rom. ut praesens et

1) Pertinet huc etiam id in quo Benius aliique patriae amoris defectum reprehenderunt, quod etiam ubi poterat e. c. ubi de Antenore loquitur Patavii non meminerit. Scilicet Roma iam altera patria erat.

2) I, 8, 6. 41, 4. 44, 4. 48, 6. II, 7, 12. III, 26, ubi *nunc* navalia VI, 20, 13. et cap. 41, regum statuae in capitol. I, 26. c. 30. curiam Hostiliam usque ad *patrum nostrorum* aetatem (quia sc. Clodii tempore deflagraverat, Ascon. ad Mil. p. 183. Nardini Rom. vet. V, 2.) III, 54 et 63. et c. 26. V, 40. VIII, 15. II, 5, 4. ut *tam* eminens area — esset, ubi *tam*, quo quasi praesens monstratur (δεικτικόν), non sollicitandum est, (ut nec IV, 20. *tam* veteres annales.)

civis loquitur [1]). Videtur pugnae Pharsalicae tempore Patavii adhuc commoratus esse, (Plutarch. Caes. c. 67.) sed iam a. u. 725., cum Ianus ab Augusto clauderetur, Romae fuisse (I. 19.). Et ante a. 727. non scripsit, Octavianum enim semper Augustum vocat, (I. 19. IV. 20 etc.) quo cognomine hoc demum anno a. d. XVII. Calend. Febr. (cf. Fogginium ad Verrii fastos p. 13 sq.) ornatus est. Neglectorum monumentorum causam potius hanc fuisse confiteamur, quod ipse, ceterum de veritate historiae suae non securus, hanc criticam rationem tantum non ignorabat, nec molestissimum laborem subire voluisset, cui propter tot difficultates, quarum non minima in lingua et litteris obsoletis erat, (cf. Polyb. II, 22.) tot errandi locos, quos monumenta aut supposititia aut ambiguae et ancipitis explicationis ut iam antecedentibus scriptoribus ita tum maxime datura erant, impar futurus erat. (cf. de Livii explicatione doni votivi Corneliani Perizon. animadvers. hist. p. 315.) Itaque Antiatem in hoc genere graviter lapsum corrigit potius, quam de eo miratur XXXIII, 29, et XXXIX, 52, et 56. cf. c. 42.

Apparet autem quid inde de eius auctoritate sequatur, et quantum in hac re historico critico ut Polybio inferior sit, qui res ante se ignoratas e talibus monumentis eruit.

---

1) I, 8, 6. Lupercal *hoc:* ita et I, 42, 7. 43, 12. 55, 10. 56, 2. VI, 4, 12. VII, 2, 13. 25, 9. IX, 30, 10. VIII, 37. usque ad *patrum* aetatem; ita cum de Cloeliae statua tamquam superstite loquatur Plutarchus, quod veteres historici recte poterant, Livius accuratissime (II, 13.) statua *fuit*, quia brevi ante incendio perierat. (Dionys. V, 35.)

Sect. II.
DE ALIIS SCRIPTIS QUAECUNQUE AB ANNALIBUS DIVERSA SUNT.

§. 10.

Ritus et instituta antiqua eorumque caussas non solum in commentariis censualibus, consularibus, praetoriis, quindecimviralibus, (a quibus de ludis saecularibus annales dissentire notum est e Censorino,) pontificalibus quoque, et aliis libris sacris, ob maximam quae tunc erat sacrorum et rerum publicarum coniunctionem, sed in multis libris antiquitatum iam dudum expositas, saepius attingit Livius, nusquam tamen satis certum vestigium inveni, eum aliis, quam *annalium* testimoniis hic quoque usum esse, in quibus inde a Fabio (Dionys. VII, 70. VIII, 56) tales res antiquitatem spectantes non omissae erant, (cf. Dionys. II, 64). Interdum etiam ex quonam scriptore hauserit agnosci potest, ut lib. VII. prim. capp. Inde fit ut praecipue, quando aliquid primo factum sit, adnotare (X. cap. ult. III, 13. IX, 40. etc.) et omnia tantum, quatenus ad historiam et rem praesentem pertinent, perstringere magis quam tractare soleat. Non crediderim, omnia vel Cincii, Cassii Heminae (Nonius voc. moliri p. 346. Mercer.) vel Catonis, Varronisque huius generis scripta, e quibus narratio eius plurimis locis vel refelli, vel illustrari poterat, ei plane ignota fuisse; sed accuratam antiquitatis cognitionem nec habuit, nec eam ad annalium narrationem diiudicandam vel ipse vel alius Romanorum ita, ut debebant, adhibuit. In aliis rebus non singulum antiquitatum librum ut fontem adiit, sed ex sua rerum antiquarum cognitione haustas exponit, suis observationibus additis III, 28. I, 44, ubi cum eos refellit, qui vocabuli originationem solam spectantes pomoerium postmoerium explicent, grammaticos respicit (Varro quoque ita: L. L. IV. 32.).

Sed III, 55. ubi de legis tribunos spectantis interpretatione loquitur, potuit quidem Macer aut Tubero, aut alius annalium scriptor de his rebus loqui, Livius tamen, qui iuris interpretes laudat, videtur ad ICtos aut eorum libros respicere, quorum varias sententias de lege Horatia affert, unam refellit. —

§. 11.

Carmina illa historica Livii tempore affuisse et ab eo adhiberi potuisse ne Niebuhrius quidem illius opinionis auctor putavisse videtur, licet Ciceronis tempore nondum interiisse (I, p. 178) Horatiumque ea novisse (p. 294) putet, et integros versus Saturnios apud Livium invenisse sibi visus sit (p. 318) [1]. Etsi enim iam antiquissimis temporibus non satyrica solum carmina, quorum licentiam iam XII. tabb. coercebant, sacrorumque carminum multitudo (unde etiam carminum pedes Latinis nominibus designabant antequam Graeca haberent. cf. Diomed. p. 472.) sed historicae quoque cantilenae multae fuerunt, quarum maior pars postea periit, de epicis tamen carminibus cum ante Naevium et eum qui non epos sed annales protulit Ennium nihil commemoretur, si umquam ex illis cantilenis in ordinem redactis longius et continuum epicum carmen compositum est, quod ita cum omnibus vestigiis obliteratum periisse, Ennii que auctoritate oppressum esse mirum sane videtur, tum tamen

1) V. D. in Classico Anglorum Diario Vol. IX. p. 39. In reading Livy's Roman history it has allways appeared to the writer of this article, that the great historian had poetical chronicles for the material of the first part of his work, as some of his sentences with a little alteration and transposition easily run in verses etc. Sed quam facile hoc accidat probat ipsum initium praefationis, et innumera apud Ciceronem, ceterum magis observatur in eis qui ut Livius breviores et argutas sententias amant, et in argumento poetico ut antiquis fabulis.

adesse desiverint [1]): cum autem ea quae carminibus illis propria fuisse dicuntur (cf. Niebuhr) iam ab antiquissimis historicis quibus Livius usus est exposita esse appareat (infra), historicum Patavinum carminibus usum esse, quorum nusquam mentionem fecit, ne verisimile quidem est. Nec *familiarum commentarios* quibus Dionysium et Plutarchum usos esse scimus (cf. praeter Heerenium de fontt. Pl., Bergmann de Romanar. litterar. conditione a bell. Pun. I. etc. Lugd. Bat. 1817. p. 7.) usquam adhibuit, sed haec scripta, tum sicut omnia privatim servata monumenta corruptionibus multo magis exposita, postea cum publica per adulationem corrumperentur non negligenda, una cum *laudationibus funebribus*, quae cum illis non confundendae sunt (Gell. XIII. 18. 19.) et minore etiam fide dignae erant [2]), aspernatus est. cf. VIII. 40.

§. 12.

Magis ad usum suum, quam ad testimonium in dubiis rebus habendum *fastos magistratuum* adhibuisse videtur, in quibus annorum ab U. C. numerus, quem annales non addere solebant, notatus erat [3]): tales innuit IX, 18 "paginas in anna-

1) Cato enim et Varro de more dudum antiquato loquuntur, Cicero (Brut. 19. Tusc. I. 2. IV. 2. cf. de Legg. II. 24. 62.) ubique ad Catonem auctorem rem defert, nec Horatius ea inter vetustissima quae supersint linguae Latinae monumenta recenset, ea autem quae Dionysius, (cf. locos a Schulin in diss. p. 47. excitatos,) Plutarchus, Festus et alii commemorant, ad cantilenas, ᾠδὰς πατρίους, praecipue sacras, carmina militum iocularia, carmina triumphalia pertinent.

2) Cic. Brut. 16. Zenob, V. 28. Clodius ap. Plutarch. Num. 1. qui cum de genealogicis commentariis et fabulis loquatur (cf. Varro de familiis Troianis) perperam a Bellefortio aliisque ad convellendam omnium monumentorum fidem adhibitus est.

3) Iam dudum tales fasti vel magistratuum libri in pluribus templis repositi erant velut a Fulvio Nobiliore. — A fastis Capitolinis, ubi variatur, fere dissentit Livius, ut II, 54 et saepius.

libus magistratuum fastisque percurrere licet," fortasse etiam IV. 7. et 13. (cf. 39, 52.) "libri magistratuum:" eosque cap. IX. 17. in ducum recensu et in aliis locis, ubi aut annos computat, aut iteratorum magistratuum numerum [1]) affert (e. c. III, 71. IV, 7. init. V, 29. et 54. VI, 54.) inspexisse videtur. Ad Catonis aeram compositos fuisse probabile est, quam in annorum computatione etjam ibi servavit, ubi in ipsa rerum enarratione annales sequutus, aliter exposuit, ut in Camilli tribunatibus cf. ad l. V. init. et III, 30. et 33. ubi tamen trigesimum sextum annum computat, licet ipse duo consules a. 264 et 265 omiserit, VII, 18 ubi in narratione ipsa dissentit etc. Forsitan *censorum* quoque seriem ita consignatam habebat, sive in fastis annotata erat, quam IX, 19. respexit, et saepius, praecipue cum observat, quotum lustrum aut census ab u. c. aut a censura instituta sit, ita tamen adhibuit, ut numeris censorum civium non multum tribuerit, quos in decem prioribus libris fere semper omittit, et censorum nomina [2]) tum potissimum afferat, cum memorabile aliquid ab iis factum erat, interdum alterius tantum (IV, 8 et 22. V. 31, VI, 27. VIII, 17, 29 et 30. IX cap. ult X, 9. et ult.) Accurate autem censorum seriem inde perspexit. Ita anno 294 decimum esse lustrum observat et X, 47, [3]) decimum nonum, censores sextos et vicesimos.

§. 13.

De Alexandri comparatione cum Romanis, (IX, 17. sq.) quam e Fabii annalibus desumtam falsa observatione chronologica inductus

1) Ita VIII, 23. eos sequitur, qui Papirium *Mugillanum* non *Cursorem* consulem perhibebant, in enumeratione repetiti honoris IX, 28 etc. hunc consulatum *Cursori* imputat.

2) Quum enim usque ad a. 460 XIX lustra fuerint, censorum paria multo plura, novies tantam a Livio censores memorantur, nec nisi a. 288. censura sine facto memorabili.

3) Accuratissime lustrum XIX computat. Falluntur, qui ut Bellefort. rep. Rom. t. I. p. 318. *trigesimum* aut ut Curtius dissert. II. de cen-

Dodwellus de cycl. p. 690 arbitratur, nihil a veteribus scriptoribus expositum invenisse videtur: sed occasionem huic deverticulo, cui ipse veniam petit, praebebat in annalibus facta mentio Alexandri Epirotae (iam VIII, 3. et in seqq.) et ipsius Magni, (ibid.) cui Papirium parem ducem scriptores destinabant, IX. 16. fin. cf. et Oros. III, 15.[1]). Non autem solum iucundum hunc quasi secessum quo requiescerent lectoribus parabat, sed praecipue eum provocasse videntur Graecorum iudicia, qui Romanis cuivis genti se praeferentibus [2]) iniquas eorum cum Alexandro comparationes opponebant, et in sermonibus, et talibus scriptis, quale nunc etiam Plutarchi (de fortitud. Roman. et Alex.) superest; qui etiam Crassi cladem ab orientali populo acceptam invidiose commemorabant, nec aequales solum Alexandri sed sui quoque temporis Romanos ei postposuisse videntur, cum Livius dicat (c. 18.) *octingentesimum bellantis annum*, quae lectio non sollicitanda est. Inde illud de levissimis Graecis, (c. 18.) — "*quam* (Alex. magnitudinem) *qui*

---

sura Marburgi 1794. p. 15. *unum et vicesimum* corrigunt. Quamquam Niebuhr quoque II, 184. hoc probasse videtur. Primi censores, a quibus Livius numerare incipit, non a censurae initio (ut Bellefort), fuere lustro XI. non X. (ut Curtius putat,) cf. Liv. III, 25 et IV, 8. inde ad trigesimum XIX sunt.

1) De scriptoribus et Livii aequalibus intelligendum, non de Romanis Alexandri tempore viventibus: ita sibi non contradicit scriptor, ut Beaufort. (de l'incert. 2, c. 10.) et antea Muretus (VV. LL. XV, 14.) Bayle in lex. v. Macedoine, et alii queruntur. De aequalibus tradit Orosius et Laurent. Lyd. de magist. p. 67. qui etiam magistratus ad defensionem institutos commemorat.

2) Qui dum Philippum debellarent cum Alexandro sibi pugnare videbantur (Flor. 2, 17.) dum Antiochum, cum Xerxe: (c. 8.) cf. similia ap. Plin. H. N. VII. 26. de Pompeio; et Liv. c. 19. — "experti tamen sumus Macedonem hostem adversus Antiochum, Philippum, Persen." cf. XLV. 7.

eo extollunt etc., inde omnia adversantis speciem praeferunt. Ne nomen quidem Alexandri Romanis notum fuisse dicit, cum iam Clitarchus ille satis notus Romanis (Cic. ad Diverss. II, 10. Brut. c. 11.) et a Sisenna historico solus lectitatus (id. de legg. I, 2.) de legatione a Romanis ad Alexandrum missa (Plin. VII, cap. ult. et III. c. 5. sect. 9) [1]) alii de Alexandri legatis ad Romanos (cf. Strabo. V, 232.) narrassent. Fontes ex quibus hic hausit sunt Graecorum [2]) de Alexandro M. historiae, (c. 17 et 18.) ita tamen, ut iis tantum rebus, de quibus inter scriptores constabat, utatur; cap. 18 etiam ad orationum Athenis habitarum monumenta provocat.

§. 14.

De transitu Gallorum in Italiam, quem iam sub *Tarquinio Prisco* factum narrat, (V, 34. sq.) a ceteris historicis, quod sciam, omnibus, Diodoro quoque antiquos annales sequente, (XIV, 113.) et Appiano (Celtic. exc. V.) qui Cassio Hemina usus est (cf. fr. VI. et Schweighäus. adnott. t. III. p. 177.) dissentit, et accurate de rebus et locis exponit [3]). Transpadanorum famam et for-

1) Scriptores ap. Arrian. VII, 15. Diodor. 17, §. 112. Memnon ap. Phot. p. 376. Hoeschel. Malelas Chronogr. p. 246. et nugacissime Iul. Valerius R. G. Alexandri p. 21.

2) Graecarum rerum non ignarum se prodit etiam eo quod saepius Graecos respicit. VII, 33. V, 27. 33. cf. Serv. Aen. IX. 715.

3) Dubitationes quibus Niebuhr. II. p. 258. Livii narrationem impugnavit omnes ita solvuntur, ut plures magnas migrationes factas putemus, primam antiquissimam, unde Umbri dicuntur Gallorum veterum propago, (Bochus ap. Solin. c. 8. Serv. ad Aen. XII. 753. Isidor. Origg. IX. 2.) deinde plures circa *Tarquinii Pr. tempora* (Liv.) Et Dionysius quoque alio loco (VII. 3.) ubi e bonis fontibus hausit, eo ipso tempore (circa Olymp. 64.) Etruscos qui circa Ionium sinum habitent a *Gallis* pulsos cum Umbris et Dauniis Cumas aggressos tradit, quo tempore Phlegraeos campos occupavere (Strab. V.

tasse Patavinorum ἐπιχωρίους γραφὰς, quales quaevis fere urbs Italica habebat, sequutus esse videtur. Reiectis enim Romanis scriptoribus, qui Gallos ab Arunte super alpes et inde statim Clusium ductos narrabant, (cf. nunc Dionys. quoque exc. Maii ed. Frfurt. p. 25.) addit, de transitu se haec accepisse: "Tarquinio Pr. *Romae* regnante" etc. et quae in seqq. de Etruscis, Insubribus, de Mediolano etc. late exponit, e Romanis annalibus non hausit, denique ubi ad ultimos Senonas pervenit, addit: "hanc gentem Clusium — venisse comperio." Et a se ipso dissentit, aliis locis Romanos annales secutus V, 17. et 37. ubi gentem novam et invisitatam dicit.

Ex eodem fonte, e fama aut ex annalibus Patavinorum, prolixa rerum a Patavinis egregie contra Cleonymum gestarum narratio fluxit (X, 2.), quam Livio soli debemus, Romanis annalibus, quae Italicas res Romam non spectantes fere omittebant, vix tribuenda. Horum plerique Cleonymum statim Italia excessisse narrabant, nec Diodorus qui cetera exponit quidquam de expeditione ad Padum facta habet. Rostra quoque navium Patavii servata et ludorum navalium monumentum ac testimonium Livius commemorat. — Harum igitur rerum notitiam Patavinus patriae debuit. In ceteris Romanos scriptores secutus est. Et cum Thucydides nec labori nec sumtibus pepercisse perhibeatur, quo Lacedaemoniorum quoque narrationes confer-

242.) et (anno U. 541.) Capuam (Vulturnum) condidere secundum Catonem in Originibus immerito ut puto reprehensum a Velleio 1. 7. ineptam etymologiam (de Capye Troiano) secuto, quam tamen iam ab Hecataeo, (cf. et Steph. Byz. Κάπυα. Etymol. M. Eustath. ad Dionys. v. 357. Dionys. Hal. Syncell. etc.) inter Romanos iam a Sallustio et toto seriorum scriptorum grege pro vera habitam constat. Inde etiam illustrantur aliae Etruscorum (a Gallis pulsorum) migrationes; nam eodem tempore (Tarquinio Pr. regnante; Tac. Annal. IV, 65. et Claudius in tab. Vienn.) Romam venit Servius Tullius al. Coeles Vibenna (Fest. s. v.). Tertia denique migratio Brenni tempore facta.

ret, Livius aliarum Italiae urbium monumenta, fastos quos ab urbe sua condita computabant, (v. exempla ap. Scalig. Emend. T. p. 385. sq.) annales, quorum nonnullos non Cincius solum sed Cato et Varro novere, [1]) non respexit. Hos de rebus Romanis a Romanis scriptoribus valde dissensisse vel ex eo quod Claudius ille Imperator Livio ipso auctore et hortatore ad historica studia adductus de Etruscis testatur, apparet; vulgo tamen negligebantur, vel quod suam civitatem reliquis opponebat nec antiquas rerum rationes et parva sua initia agnoscebat Romanorum superbia, vel quod tum post bellum Italicum, etiam si qua monumenta communem cladem evaserant, tamen, confuso populorum discrimine ingeniorumque diversitate, suae cuiusque patriae et reipublicae amor et studium apud Italos evanuerat.

Sect. III.

DE ROMANIS ANNALIBUS ET HISTORIIS, QUIBUS USUS EST LIVIUS.

Pars I.

§. 15.

In tanta priorum historicorum multitudine, quam Livius ipse (in praefat.) agnoscit, eligendi ei erant quos inprimis sequeretur. Omnium enim libros nec facile comparare sibi poterat; Valerius Antias solus LXXV. Gellius minime XCVII. volumina complectebatur; nec quia alter alterum sequutus erat labori in omnibus conferendis posito fructus satis responsuros, aut historiam in singulis ac minimis minuta diligentia explicatam

1) Cf. de his Ryckius dissertat. de primis Ital. colon. p. 437. Dodwell de Cyclis X, p. 545. Perizon. dissertt. select. VII. p. 695 seqq. et inpr. Saxius miscell. nov. Lipsiens. t. II. p. 704 seqq.

se dare posse sperabat. Ipse quidem IV, 20. [1]) *omnes* ante se auctores se sequutum, et VII, 21 in *omnibus* annalibus quinquevirorum nomina exstare dicit; sed haec ut l. XXII, 31. *omnium prope* annalium, et quod saepius apud *neminem* auctorem aliquid inveniri dicit, de iis tantum, quibus usus est scriptoribus intelligenda sunt, ut XXXII, 6. "caeteri Graeci et Latini auctores, quorum quidem ego legi annales," nec Levesquio (in histor. critic. [2]) nec Krusio (l. c. p. 10.) assenserim, Livium omnes qui ante eum hanc historiam scripserant contulisse.

Ut igitur de *delectu* ab eo instituto iudicari possit, de singulis, quos sequutus esse videtur, quantum ex operum reliquiis aliorumque testimoniis perspicere licet, videndum, qualis quisque scriptor fuerit [3]) et quanti quemque fecerit Livius, quo et de Livii auctoritate ex eorum, quos sequitur, praestantia iudicari possit, et ratio, qua iis usus sit et qua alium aliis praetulerit perspiciatur.

Erant autem omnes continuorum annalium scriptores, quorum nemo in priorum saeculorum historia, ut plures in serioribus, singularem operam posuerat, Claudius priora usque ad bellum Gallicum etiam omiserat, aut brevissime perstrinxerat. Vetustissimi quoque, nec succincte summatimque omnia exposuerunt, Ciceronis enim iudicium potius de orationis simplicis et incomtae brevitate intelligendum est, nec Graecarum literarum plane ignari erant, sed sinceri et a partium studio historiaeque exornandae cupiditate remotiores, nec antiqnitate

1) Ubi tamen ii, quos Diodorus 12, 80 sequitur, variisse videntur, (cf. Niebuhr II, 211.) Aurel. Vict. quoque (vir. illust. c. 25) et Valer. M. III. 2. 4. magistrum equitum fuisse tradunt.

2) Ut in praefat. ubi e Livii silentio Dionysium refutat, et saepius, etiam in dissert. c. supr. cit.

3) Quam rem fere neglexere ii, qui de his scriptoribus conferendi sunt Vossius, Hanckius, Funccius, Saxius, Harles et al.

solum rebus gestis propiore sed etiam bellicarum civiliumque rerum usu et experientia serioribus, quorum plures has non attigere, praestabant, et e monumentis publicis et privatis res suas hauserunt, quorum magna pars postea interiit, vel variis casibus vel ipso neglectu quo deinde hi ipsi scriptores serioribus praelatis oppressi sunt.

§. 16.

Fabius, quem *antiquissimum scriptorem* vocat Livius, est *Q. Fabius* C. f. C. n. *Pictor*, qui *annalibus* Latinis (nam Graecos quoque scripserat [1])) sive *rerum gestarum libris* [2]) res ab u. c. ad sua tempora gestas perscripserat, vir gravis et senator, cuius vitam et mores respiciens eum volentem falsa narrasse negat Polybius 1. c. 14. et magnae apud posteros auctoritatis (Dionys. IV, 6.) ut dum eum sequatur alio testimonio se egere neget Dionysius, (VII, 71.) qui cum ab eo dissentit falsus esse solet, (IV, 6 et 30.) et Polybius timeat, ne quidam nomen eius et libri titulum intuentes omnia eius dicta ut certa arripiant. Hunc cum pariter ac Cincium finitum bellum Punicum secundum cui interfuerant ad scribendum primos excitaverit, magno, patriae victricis amore eiusque celebrandae studio plenum fuisse par est; tamen nec Romanarum partium nimis studiosum fuisse ex sententia eius a Polybio III, 9. [3]) impugnata concluseris,

1) De hac re diversas aliorum sententias examinavimus in excurs. 1.

2) Eosdem esse puto, quos Nonius s. v. picumnus p. 518. (Mercer) *libros rerum gestarum* vocat. A Diodoro quoque (t. IV. p. 22 Schweigh.) vocatur ὁ τὰς τῶν Ῥωμαίων πράξεις ἀναγράψας; Polybius *commentarios* vocat (βίβλοι ὑπομνήσεως) III. 9.

3) Imo verum quoque ibi Fabium vidisse puto, etsi Ernestiana illa defensione (opusc. philol. p. 102 seqq.) non omnibus persuasum sit (cf. Wachsmuth p. 27. Rambach p. 130.), ita ut Polybii iudicium etiam I, 14 et 58. mitigandum sit, qui tamen veritatem scriptoris ubique agnoscit.

nec gentilium suorum gloriae augendae cupidum ex iis, quae de Fabio Rulliano narraverat (Liv. VIII, 30.). Rerum antiquarum, sacrorum vetustorum peritissimus erat, et de iure pontificio minime XVI libros scripserat. Breves et succinctos eius annales fuisse multi saepe ad Romanae historiae fidem labefactandam repetierunt (post Bellefort de l'incertit. 1. c. 10. II. p. 470 seqq. Levesque hist. crit. préface p. XIV. et memoires de l'institut. l. c. 361. 383. etc. Niebuhr quoque saepius). Et verum videtur, si cum belli Punici narratione magis prolixa conferas, quamquam Dionysius I. 6. nonnisi ita brevitatem huic aliisque obiicit, ut cum sua ample et, ut dicit, prima accurate scripta historia eos comparet et hanc ipsam commendet, id quod ex iis etiam quae ibidem de Polybio aliisque iudicat perspicitur; nec e Cicerone (de Orat. II. 12. Legg. 1, 2.) quidquam praeter sermonis incomti brevitatem sequatur. Ceterum eum res ab Aenea gestas et prima Urbis tempora multo latius, quam Livium descripsisse e fragmentis apparet [1]), deinceps ea, quae Livii sexto libro continentur Fabii *quarto* inerant, (cf. Gell. V, 6. cum Liv. VI. c. ult.) et haec quoque non tam succincte narrata fuisse ex iis quae a Livio afferuntur e. c. VIII. 30. X. 37. perspicitur. Graecos eius annales prolixos fuisse praeter locos supra e Dionysio laudatos probant praecipue I. c. 80. 83. IV. c. 30. et VII. 70. de antiquis quoque institutis, ut de ludis Circensibus exposuerat. Et iam Fabius ita annalium speciem, quantum poterat, servabat, ut in antiquissimis quoque rebus tempora notaret v. Plutarchi Romul. c. 14. ubi Sabinas quarto urbis

1) Nunc quoque e magno fragmento ap. Eusebium Aucher p. 387 seqq. quo de sue et XXX procellis, de somnio Aeneae (cf. Syncell. chron. p. 199. Diodor. l. c.), de Alba condita et Albanis regibus exponit. De *Amota* (ap. Serv. ad Aen. XII. 603.). De Olo quoque eiusque capite invento plura dixerat. (Arnob. VI. c. 7. Orellii) et (ap. Plin. XIV. 13.) de muliere a suis punita.

mense raptas dicit (quod Consualia sc. quarto mense post Palilia celebrabantur.) et Albanorum regum seriem apud Euseb. l. c. (cf. infr. §. 36.). Quidquid de similitudine illa iudicemus, quam Plutarchus inter Fabii et Dioclis narrationem observavit, Graecae linguae gnarus, quippe legatus Delphos missus erat, Graecarumque literarum non plane rudis erat scriptor, cum Olympiadas noverit (Solin. c. 2. et Dionys.) et (Liv. I. 55.) summam quamdam talentis expresserit (cf. Niebuhr I. 297.) et in Graecis annalibus, si Dionysius accurate retulit, (I. p. 217.) secundum stadia computet. Aera urbis conditae qua Fabius utebatur a Catoniana quinque fere annis dissidebat (Dionys. Solin. Diodor.) quam computandi rationem antiquissimam esse inde colligo, quod saeculares ludi, qui centesimo quoque urbis anno fiebant, (quales postea etiam Claudius, Antoninus, Philippus celebravere et Catullus cecinit) in eos annos cadunt, qui secundum Fabii aeram vere centesimi, sed si Catonem sequare quinque annis posteriores sunt, ut ex veterum historicorum testimoniis constat, de secundis ludis a. u. 305. de tertiis a. u. 505. celebratis (Censorin. D. N. c. 17.) de quartis a. u. 605. (idem et Zosimus II. 4.) [1]). Permagni eum fecit Livius, ut antiquissimum et fide dignissimum. Itaque saepe eum laudat, I. 44. 55.

1) Quominus hoc pro Fabii ita computantis commento habeatur, quod ceteri omnes mutatis mutandis secuti sint, obstat Varronis et ceterorum historicorum auctoritas, et quod in quartis ludis etiam post Fabii mortem (Liv. 45, 44.) hoc convenit. Et quamvis anno CX. secundum Etruscum ritum fieri debebant, revera tum celebratos nusquam traditur ante Augustum a. 737. τοὺς χρόνους καθ' οὓς ἔδει — τῶν πεντεκαίδεκα ἀνδρῶν — ἀνερευνησάντων Zosimus II. 4. Est illa descriptio temporum quam Censorinus e XV virum commentariis affert (c. 17.) sero secundum vulgarem aeram (Varron.) facta, et annos exhibet quibus fieri ludi debuerint, non tamen facti sunt. Errant igitur qui ob XV. virum auctoritatem illas annalium Liviique narrationes in dubium vocant.

II. 40. VIII. 30. X. 37. saepius etiam nomine non apposito eo utitur, interdum tamen ita, ut potius vulgatam aliorum narrationem sequatur, ut II. 40. X. 37., Fabii rationem in fine breviter commemoret. Mentio eius etiam l. III. 4. facta erat, quo loco a Sigonii temporibus eiectum Fabii nomen [1]) Drakenborchii praecipue auctoritate plane in oblivionem ivit, (ut VIII. 30. etiam in quibusdam Mss. peccatum erat.) Livius ibi alios quoque scriptores sicut antiquum Fabium Fusios pro Furiis scripsisse observat. — Fabius autem cum proximis, Pisone praecipue, intelligendus est, ubi Livius *antiquissimos scriptores* laudat, ut VIII, 30. ubi statim nomine citatur Fabius, aut *priscos annales* IV. 7. VII. 9. III. 23. *vetustiores* scriptores, aut (VIII. 26.) *quibus dignius credi est* ad partes vocat.

§. 17.

Fabii aequalis erat (Liv. 21, 38. cf. 26, 23 et 28. 27, 7 et 29.) *L. Cincius Alimentus* vir e plebeia gente, sed antiqua et nobili (cf. Fest. v. Cincia.) oriundus (non enim omnes antiqui scriptores patricii fuere) senatorius et praetorius, rerum domi forisque gestarum usu tritus, imprimis iuris peritus, in indagandis antiquitatibus tam Romanorum quam Italicarum urbium praestantissimus, et multis libris ad ritus, ius et linguam spectantibus clarus. (cf. Niebuhr. I. p. 191.) Longolii enim sen-

---

1) Quod in optimis codd. et editt. omnibus ante Froben. 1531 comparet. In novem codd. ap. Drakenb. et Veithiano est: Furios Fusios Fabios scripsere quidam. Praeter hos vocem Fabius servant IV alii; omittit nonnisi Palat. 2. corruptissimus ille cum II aliis et fortasse Oxon. B. et N. Duckerus eam pro glossemate habet, cum potius e Lips. in quo est Furios *Fusios* Furios scrips. q. et Portug. in quo *Fabius* a sec. manu deletum est appareat, quomodo vocabulum vel evanuerit vel expunctum sit. Cum Sabellici et Pighii rationes a libris nimis recedant legendum videtur: Furios Fusios ut Fabius scripsere qu. et ita Ascens. 1510. nisi quod pro *ut* habet *et*.

tentia, qui propter res publice ab eo gestas otium ei ad tot libros scribendos fuisse negat, et praeter breves commentarios rerum contra Hannibalem a se praecipue gestarum cetera omnia aliis Cinciis tribuit, nihil habet quo probetur. Hermunduli autem (ap. Gell. 16. 4. e Cincio) aut ignotus Italiae populus est, aut Gellius ipse nomen Hermundurorum, qui tum potissimum cum Antonino bellabant, (Capitolin. Anton. phil. c. 22. init. et 27.) exempli causa adiecit. Livio in tertia decade *maximus auctor* (21, 38.) vocatur [1]), in hac prima semel laudatur VII. 3. ubi ex ipso Cincio, non ex alio eum citante Livium hausisse probat adiectum *diligentissimus monumentorum auctor*. [2]) Idem dicit Dionys. I. 6. et 74. Ceterum et hunc Graecarum literarum non rudem, Gorgiae Leontini vitae scriptorem, Graecis quoque fabulis non abstinuisse probant ea quae de Evandro (Serv. ad Georg. I. 11. Victorin. p. 2468.) et de diis Graecorum (in fastis) exposuit. cf. fragm. et Laurent. Lyd. de menss. p. 90, ubi ὁ Ρωμαῖος σοφιστὴς vocatur. Annales satis prolixos a primordiis urbis ad sua tempora Graeca lingua conscripsit: (Dionys. I. 6. et 79. p. 201 et p. 187. II. p. 317. et 319. Auctor de Orig. gent. Rom. c. 17 et 18. qui Graecos libros pariter et Latinos adhibet cf. c. 9. [3])). Non enim historiam Hannibalicam solum scripsit,

1) Quam lectionem nollem ab editoribus reiectam cum non solum in IV. codd. ap. Drakenborch. sit sed etiam inter VV. LL. trium Mss. ab his diversorum quas habeo ab Ant. Perisinio editioni Raphelengianae libri XXI. adscriptas adnotetur veteres libros ita exhibere.

2) Quominus cum Bechero observatt. Critt. Lips. 1808. p. 74. pro comparere legamus *comparator diligentiss.* obstat appositum auctor; diligens cum genitivo ita iungi lexica docent.

3) Strabo quoque V. 352. c. de urbis origine Cincium citat, si vera Heynii emendatio excurs. IV. ad VII. Aen. p. 148. Vereor tamen, ut id quod ibi affertur Cincio tribui possit. Caecilius Calactinus *rhetor*, quem Toupius ad Longin. p. 272 et du Theil cum Vossio intelligit, servilium tantum bellorum historiam scripsit, nec Romanus scriptor dici

ut Vossius (Hist. Lat. c. IV et V.) putat et plures eum secuti, etiam Longolius qui prolixe de Cincio disseruit (Notitia Hermundurorum t. II. p. 3—14. sqq. ed. Ernesti.) Meierotto, et auctor commentationis diario Anglorum classico (1821. Mart.) insertae (of the Latin historians before Livy. p. 142 sq.) qui sua fere e Vossio hausit: nec haec erat operis inscriptio, sed annalibus etiam Hannibalis historia continebatur. De Latinis Cincii annalibus nusquam aliquid traditur, et Cicero, quoties veteres historicos Latino sermone usos recenset, numquam huius, Pictori aetate aequalis, mentionem facit. (cf. Turneb. ad Cic. de legg. 1. 2.) Hic igitur sicut de Fabio improbanda est Wachsmuthii coniectura de versione Graeca [1]) quam Dionysius habuerit (p. 27). Nec recte Wassius ad fragm. hist. (Sallust. Havercamp. p. 264.) e fastis Cincii Livium illa hausisse putat, quos plane alias res continuisse e fragmentis apparet. Sacri enim non civiles, non chronologia, sed commentarius de diebus festis erant, *περὶ ἑορτῶν* ut citat Lydus de Mensib. p. 90. qui p. 125. inde idem fragmentum affert, quod Macrob. I. Sat. 12. e libro de fastis attulit. *Graecis* Cincii *annalibus* Livius usus esse videtur. Graecos auctores etiam alios, quam Polybium adhibuit in tertia decade (39, 52. 32, 6. 29, 27.) et ipsum Cincium 21, 38. quem, quia Latinos Graecis [2]) protulit, in hac priore

poterat. Coelium intelligo Antipatrum, qui antiqua quoque tempora attigit (Serv. ad Aen. X, 145. III, 393.) et similiter graecissat (Solin. c. 8.) pro Coelio autem saepissime corrupte Caecilius (Priscian. I. 13. p. 566. Kr. VIII. 383. et 371. Kr. Spartian. in Hadr. c. 16. cf. Cic. pro Milon. c. 14.) et Par. 3. habet: ὁ γε Κύλιος quod ortum ex ὁ γε Κοιλιος unde ceterae lectiones explicantur.

1) Idem fere de N. et Q. Fabiorum et Cincii graecis scriptis cogitasse videtur Dirksen *Civil. Abhandl.* I. p. 36 sq. qui non ante septimi saeculi initium historias Graece scribi coeptas putat.

2) Cum lingua quoque ei non tam familiaris esset, ut docent graves lapsus in interpretando Polybio, et Cincium ipsum in tertia decade alicubi male intellexisse videtur.

parte rarius adhibuisse videtur. Vix dubitari potest Cincium in annalibus quoque ut in aliis libris multa melius exposuisse e. c. de foedere Latino v. Fest. v. praetor et aliis.

§. 18.

Proximus his aetate (quosdam enim eo antiquiores non adhibuit Livius) est *L. Calpurnius L. F. C. N. Piso Frugi*, vir praetorius, consularis, et, quod citantes saepe apponunt, (Dionys. I. 40. Maii excerpt. XII. c. 10. Censorin. c. XVII. Plin. XIII. 13.) *censorius*, nec rerum bello gestarum nec iuris peritiae nec oratoriae laudis expers, vir summae probitatis et integritatis (Cic. Tusc. III. 8. pro Fontei. c. 13. Verr. III. 84. IV. 25. Plin. H. N. 33, 2. Valer. M. IV. 3.) qui tribunus primam legem de repetundis tulit et cum insigni fide rem monetariam administravit (Pigh. Annal. a. 605 et 599.) et antiquae severitatis (Valer. M. II. 7. 9. Frontin. strat. IV. 1. Oros. V. 6. Paul. Diac. IV. 23.) *gravis auctor* Plinio II. H. N. 53. (cf. Heyne *antiquar. Aufs.* II. p. 81.). Annales eius sive historiae, (ita enim promiscue eos citat Priscian. X. p. 485. et 474. (Krehl) et alii) s. πραγματεῖαι (Dionys.) ab u. c. ad auctoris aetatem deductae erant [1]). Annum U. DCVIII. continuisse apparet e Censorino c. 17. Non multo plures VII. libris fuisse videntur, quia septimo inerat annus u. c. 596. (cf. aliud fr. ap. Censorin. l. c. p. 116.) Piso autem cos. fuit a. u. 620 [2]). Scribendi genere exili et incomto

1) Errant enim qui eas in Bello Punico IIdo substitisse putant, ut Meierotto l. c. p. 6. et al.

2) Ultra Marii quoque mortem processisse probaret fragm. ap. Plutarch. in Mario c. 43. Pisonemque admodum senem annales continuasse, nisi et praenomen Γάϊος huic sententiae obstaret, noster enim *Lucius* dicitur a Plinio (qui multa ex eo etiam non apposito nomine hausisse videtur cf. indic. l. 2. 12. 13. 16. 19. 36.) v. 15, 29. 16, 39. 8, 6. 2, 53. 3, 19. 33, 2. 34, 3 et 6. Varrone L. L. IV. c. 34. Dionys. II, 5. 40. IV. 9. Gell. XI. 14. *L. Piso Frugi.* et quod additur a

usus erat (Cic. Brut. c. 27. Legg. I. 2. Gell. XI. 14. simplicissima suavitas et rei et orationis) non tamen valde succincte et breviter res pertractaverat, ut quibusdam videtur, sed multa singillatim et latius, historiolas etiam (ut de Romulo et compotoribus eius Gell. XI. 14.) inseruit, et res antiquitatem spectantes explicuit: cf. fragm. apud Dionysium IV. c. 15. Varro L. L. IV. p. 36. (Scal.) Plin. 33. 1. etc. Epitome quoque horum annalium postea facta est. (Auctor de Orig. g. R. c. 18. cuius fidem in veterum scriptorum fragmentis allatis contra suspiciones nuper motas defendere conatus sum excursu II.) E coss. quoque historia, quae succinctior videri possit [1]), res singulae minoris momenti et a Livio ut in breviore historia praetermissae afferuntur. (cf. Plin. 33, 1. de proelio Regillensi; Dionys. exc. Maii I. 12. c. 10. et infr.)

Ad iudicium de eius opere ferendum pertinet etiam, quod rerum antiquarum et sacrorum [2]) peritus erat, diligens, imprimis accuratus in magistratuum nominibus afferendis. (Liv. II. 58. X. 9.) Graece eruditus Graecas etymologias annalibus inseruit (Varro R. R. II. 5. Serv. ad Aen. II. 761.) quarum studium eo

Plutarcho Γάϊός τις Πείσων, cum nostrum ut notissimum sibi laudet. (Num. 21.) Itaque noster et ab hoc (qui fortasse idem est cum C. Pisone ap. Cic. Brut. c. 68. ubi cf. Corradus.) et ab alio L. Calpurnio Pisone (Sisenna, ap. Non. v. senatuis) distinguendus. Sed etiam olim quemdam de L. Pisone censorio ap. Plutarch. cogitasse demonstrat varia lectio Vulcob. τιμητικός pro ἱστορικός.

1) Certe cum ultimos reges et primos Coss. liber II. continuerit, (Gell. XV. 29.) tertius iam ea complectitur, quae Livius l. IX. cap. ultimo narravit. (Gell. VI. 9.) in primo tamen de Italia et tempore ante u. c. plura praemiserat. (Varro R. R. I. p. 258. Gesner.)

2) De his aut singulum librum scripsit aut multa talia annalibus immiscuit cf. fr. a Servio Aen. X. 76. Macrob. I. Sat. 12. III. 2. (Arnobio III, p. 119 sqq. (Orellii) allata; et de Tarpeia narrationem immutaverat argumento e sacris ducto. (Dionys. cf. Festus).

tempore (erat autem Cos. eo anno [1]) quo Ti. Gracchus et Numantia occidit) ingravescebat, et inter primos fuit, qui mythos, et historias ad rerum et temporum verisimilitudinem examinabant et explicabant (cf. Niebuhr I. p. 242. 245.) unde multa aliter, quam ceteri narrabat; (cf. et fr.) suffragante Dionysio II. p. 320. IV. c. 7. p. 653. et c. 30. ubi *annales* e quibus temporum ratio affertur Pisonis sunt; Livio fere in his consensum aliorum praeferente. Argenti pondo numerus (Piso ap. Liv. I, 55.) quem immensum supputant post Livium, Glareanus Gronov. etc. Pisonis fidei obfuit, (cf. Meierotto p. 6.) sed Niebuhrio (I. p. 197.) explicante cum Fabio consentit. A primo libro (I. 55.) ad decimum (X, 9.) saepius eum citat Livius. Priore loco Fabii etiam verisimiliora narrantis auctoritati eum postposuit, altero iuniores Macrum et Tuberonem Pisonis testimonio refellit.

§. 19.

Sequuntur hos qui non exornatores rerum sed tantummodo narratores erant (Cicero) prolixiorum annalium scriptores, qui magis etiam fabulis historicam quamdam speciem induerunt [2]), narrationem multis, quae e populi fama aut familiarum commentariis hauserant, auxerunt, subinde criticos non ita dextre egerunt, et latius et confidentius res antiquas exposuerunt, et exornarunt, quod in Dionysio quoque, qui, ut comparatio docet, hos praecipue secutus est, magis tamen rhetorem egit, perspicitur.

Ubicunque in his X libris Claudius (in Var. lect. saepe Clodius) citatur, *Quintus Claudius Quadrigarius* [3]) intelligi

1) Errat enim Meierotto p. 6. qui Pisonem Cincio antiquiorem putat.

2) Amulium sub Martis specie Rheam compressisse, Romulum Remumque Gabiis educatos eruditosque esse, et sic porro.

3) Cognomen fortasse inde traxit quod cum Sulla post victoriam Circenses faceret ita ut honesti homines currus agitarent (Ascon. in Cic. or. in toga candida) ipse inter hos eminuit.

videtur, Sisennae aequalis [1]). Clodius enim Licinius, s. potius Licinus, (cf. Perizon. Anim. Hist. c. VIII. p. 349. Drakenborch ad Liv. 26. 65.) qui priore tantum nomine citatus in tertia et sequentibus decadibus interdum ab illo discerni nequit, *Rerum Romanarum libros* non ab u. c. sed a bellis Punicis incepisse videtur, quorum secundum satis prolixe descripsit [2]). Valde dubium est, an Quadrigarius sit ille Claudius, qui Graecos C. Acilii annales (Plutarch Romul. c. 21. Cic. Off. III. 32. cf. Voss. Hist. Lat. p. 44. Drakenborch et Ducker ad Liv. 25. 39.) Latine vertit. Distinguit tamen Livius Acilii interpretem 25, 39. 35, 14. a Claudio (Quadrigario) quem saepius hoc non addito citat (33, 10. 38, 41. et 23. 44, 45.) Eos autem, quos Livius hic adhibuit annales non translationem ut plerique putant [3]) sed ipsius Claudii opus fuisse pro certo habeo. Nec enim Livius in hac prima parte quicquam de versione dicit, et Quadrigarii annales, sive historiarum libri, ut nonnumquam citant, inde a bello Gallico incipiebant, Aciliani ab origine urbis cf. ll. cc. Orig. G. R. c. 10. et ap. Dionys. III. 77. p. 581. ubi pro Ἀκύλιου leg. Ἀκίλιου ut ap. Plutarch. vel cum cod. Vat. Ἀκίλλιου ut ap. Dionys. sae-

---

1) cf. Vossium et al. Macrobium secundum quem multo iunior videri posset recte explicuit Thorbecke de Asinio Pollione p. 25 sq.

2) Perperam cum aliis Meierotto p. 10. hos confundit. Quadrigarii liber tertius Pyrrhi (cf. Gell. III. 7.) Licini l. III. Africani tempora complectebatur; (Liv. 29, 22.) illius Vtus cladem Cannensem, (Gell. V. 17.) et res a Gell. II. 2. e libr. VI. allata in a. u. 539 cadit. Sexto igitur aut sequentibus libris, non tertio, de Pleminio agere potuit.

3) Interprett. ad Vellei. II. 9. Schweighaeus. exercitatt. ad Appian. p. 60. et adnott. t. III. p. 172. Dodwell. praelect. Camden. p. 685. Ruperti prooem. ad Liv. p. XVIII. et ad l. 25, 39. VI, 42. Meierotto p. 10. Dirksen *Civil. Abhandl.* I. p. 38. Nec putaverim versionem Acilianae historiae ab u. c. usque ad cladem Gallicam a Claudio operi suo inde incipienti praefixam esse, cum in belli Pun. II. historia ambo ut diversa opera commemorentur.

plus *Ἀνέρωτον* ap. al. *Ἀρίστων*, *Ἀμφίλοχον*; Acilius etiam, non Aquilius erat. Horum autem annalium, qui libro XIX. ad septimum consulatum Marii, cuius aequalis 1) erat Claudius, pervenerant, (Gell. X. 1.) ultra autem processerunt, cum l. XXIII. a Gell. X. 13. citetur, nonnisi duobus prioribus libris in altera huius decadis parte inde a clade Gallica uti potuit Liv. quoniam tertius iam Pyrrhi tempora continebat (Gell. III. 8. bis). Conferendum sibi tamen putavit huius optimi et sincerissimi scriptoris (ut Antonio Iuliano audit ap. Gell. XV. 1. cf. Frontonis iudicium ibid. XIII. 27. et Ian. Gebhard II. Ant. lect. 5.) opus satis ample (cf. fr.) et "purissime atque illustrissime" scriptum (Gell. IX. 13.). Ceterum scribendi genus, quantum e fragmentis apparet prolixum est et oratorii aliquid sapit. Orator erat Claudius cf. Non. v. horrea. Saepius eo Liv. usus est, in rebus etiam ab aliis omissis, (VIII. 19.) caute tamen, ut VI. 42. pluribus auctoribus magis credat; IX. 5. eum refellat; VIII. 19. eum non sequatur, sed post rem narratam aliquid ex eo desumtum addat, et X. 37. nec ex ipso nec e Fabio, cum utrumque citet, sua desumserit.

§. 20.

Q. Valerius Antias Sullae sine dubio aequalis (cf. Vellei. II. 9. Voss. Hist. Lat. p. 45. Perizon. Anim. Hist. VII. p. 316)

1) Velleio teste. In bello Numantino laudat eum Oros. V. 4. (cf. IV. 20. V. 3.) apud quem plura veterum fragmenta latent, rem Marii tempore (a. u. 645.) factam ex eo (*χρονικαῖς συντάξεσι*) affert Appian B. Celt. fr. 3. ut Vossio et Schweighäusero placet, si tamen, ut puto, *Παύλου* e *Πουβλίου* corruptum est, non nostro, cui Quinto praenomen erat (Macrob. Sat. 1. 16. Gell. V. 21. et saep.), sed fortasse Licino tribuendum est. Fragmentum e nostro affert Ioan. Salisber. (Polic. V. 7.) multo amplius et correctius quam Gell. I. 8. tamen non videtur duodecimo saeculo ipsum legisse, sed ex alio descripsisse.

historiam [1]) ab urbe condita ad Sullae tempora [2]) multis voluminibus quorum LXXIV. Priscianus laudat IX. p. 468. (Krehl) LXXV. Gellius VII. 9. perscripserat, valde prolixe in mythica quoque aetate (cf. fr.) ita ut secundo demum annalium libro ad Numam pervenerit. Non Antio oriundus [3]) nec Antiatibus favens (cf. Liv. III. 5.); sed gentilium suorum [4]) et Romanorum nimio studio rerum narratarum amplificator, novas et mirabiles res proferendi cupidus. (Plin. II. 107) unde in quibusdam eum cum nemine consentire

1) Lucubrationum nomine opus inscriptum fuisse non probabilis erat B. Rhenani suspicio e corrupto Plinii loco (in praefat. hist. nat.) orta.

2) Annum enim 663. continuisse probat Plinii locus 34. 5. cf. Heyne *antiquar. Aufsätze* II. p. 82. in bello Persico citatur a Livio, de Flaminini et Metelli gestis et bello Cimbrico ab Orosio IV. 26. V. 3. et 16.

3) Plinii locus (praefat. H. N.) ubi Antias *fuisse* et dictus esse traditur corruptissimus et a Rhenano interpolatus est. Veram lectionem cuius vestigia etiam vett. edd. retinent, e Mss. restituit Harduinus. Dionys. quidem Οὐαλέριος ὁ Ἀντίας dicit (II. c. 13. ubi Ἀντιεύς e Vatic. reponendum ut fortasse etiam l. c. 7. ex eodem.) Ne pro cognomine ab urbe patria ducto haberetur ii evitabant, qui, ut fortasse Valerius ipse, non Antiatem dicebant sed Antiam. Grammaticorum tamen ut Verrii Flacci auctoritate (cf. et Priscian. V. p. 182. Kr.) illa flexio praevaluit. V. Auct. de Or. G. R. indic. Rhr. Ceterum ab eadem urbe dicebantur Antii, gens Rom. et Ulyssis filius Antii conditor Antias, se vocatur (Dionys. I. c. 72.) et Plutarchus bis (Numa 22. et de fort. Rom. p. 323.) οἱ δὲ περὶ Ἀντίαν non Ἀντιάτην.

4) Causam non video cum Niebuhrio I. p. 327. putandi, eum non patricium, sed Valeriorum clientem fuisse, cum Antias vetus Valeriae gentis cognomen sit (Liv. 23, 34.) ab antiqua illa Romanorum colonia desumtum, et in aliis quoque gentibus ut Furia (de poeta aequali Valerii Furio Antiate v. Gell. Macrob. Cic. in Brut.) occurrens; et eo tempore honestissimus quisque historiam scribebat, libertini abstinebant (Sueton. Rhet. c. 3.). Nihil igitur obstat quin hunc praetorem in Sicilia fuisse putemus a. u. 676.

adnotatur (Gell. VI. 8. [1]) VII. 19.) Graecularum fabularum et etymologiarum sectator (cf. ap. Valer. Prob. de nominib. fn Antiatis Ancus ab ἀγκών) nec satis diligens. Livius per totum opus quod nunc restat eum adhibuit. Quoties ludorum saecularium mentionem facit Antiatis rationem a ceteris diversam sequitur, ut de tertiis, et quartis (de quibus alia tradunt Piso, Gellius, Hemina, XV viri) testatur Censorin. c. 17.; de illis, cum l. XIX. perierit, ex epitome l. 49. perspicitur, ubi annus 605. u. c. cum Antiatis Coss. Claud. Pulchro et Jun. Pullo consentit. In prima quoque decade ubi rarius eum nomine apposito laudat, sine dubio (v. infr. part. 2.) saepius eum secutus est, et eius narrationem prolixiorem ubi cum antiquis succinctioribus consentiebat in brevius contractam recepit, quamvis veritati et diligentiae eius diffidebat, praesertim numeros ab eo auctos saepius reprehendit, et quod caesorum numerum in tam antiquis temporibus subtiliter exsequatur III, 5. et saepissime in altera historiarum parte. Idem Orosius IV. 20. et V. 3. ei obiicit qui utroque loco Polybii veritatem ei opponit.

§. 21.

Ad hos *recentiores* pertinet etiam *C. Licinius Macer* Sisennae aequalis et amicus (Cic. de legg. 1. 2.). Videtur esse ille Rabirii inimicus quem Cicero repetundarum damnavit (ad Att. 1. 4. Plutarch. Cic. c. 9.) Ea enim quae de historico dicuntur de Legg. l. c. cum iis quae (Brut. c. 67.) de eo ut oratore dicit consentiunt. Hic orator autem idem est cum praetore illo a Cic. damnato: cf. Valer. M. IX. 12. 7. Non in umbra vixit, sed quaestor fuit (cf. Pigh. a. 675.) et praetor exercitum duxit (cf. epistola ad senatum ap. Non. p. 259. Mercer. v.

1) Unde etiam perspicitur eius erga magna ingenia ut Scipionem malevolentia. Non enim persuadet Camerarius Subseciv. p. 1. c. 49. qui Antiatem Polybio et omnibus (cf. Gell.) aliis historicis in hac re praefert. cf. Vossii Ars Hist. c. X.

contendere.) Vir acer et strenuus, motibus quos tribunus pl. excitavit notus [1]), et orator vehemens cf. et Priscian X. p. 602. Kr. *Annales* ab u. c. ad sua tempora [2]) deduxit, scribendi genere prolixo, unde apud Ciceronem argutae loquacitatis, in orationibus (inserendis) multus et ineptus ad summam impudentiam dicitur. Sed fortasse Tullius de inimico iudicavit iniquius. Dionysio, qui multa ex eo hausit, vel ob hoc placuisse videtur, et quod ratiocinationes et observationes multas immiscuerat, quamvis ut parum criticum et chronologiae immemorem eum interdum notat (VI. 11. VII. 1. cf. infr. ad Liv. IX. 46. et similem temporum confusionem ad II. 34.) De antiquissimis temporibus, de urbibus Italicis multum exposuerat, (Solin. c. 8.) sed Graecas fabellas. Romanarum antiquitatum imperitus etiam eo apparet, quod annum decemmestrem pro fabuloso habebat et iam sub Romulo XII. mensium annum cum intercalatione fuisse contendit. Monumentorum tamen non indiligens libros linteos inspexerat, et ubi antiqui annales ab iis dissentirent, notabat, et veterum foederum tabulis ad historiam diiudicandam usus erat cf. Liv. IV. 7. et 20. et 23. Sae-

1) de eius vita ac moribus disseruit de Brosses histoire de la R. R. I. III. ad c. 74. et 75. qui tamen annalium scriptorem huius tribuni pl. patrem praenomine Lucium fuisse putat. Praenomen Caii servant IV. codd. ap. Liv. IV. 20. 8. nummum eius exhibet Patin. p. 152.

2) Qui intra quadringentesimum urbis annum eum substitisse putant, ut Meierotto p. 5. nihil habent, quo hoc probent. Nam a Diomede I. p. 366. et Prisciano X. p. 496. (Krehl) liber XVI. citatur, ubi falsa lectio Aemilius Macer, quae Harduinum quoque (ind. ad Plin.) in errorem induxit, a nuperrimo editore mutanda erat. — Ita per errorem Licinius pro Aemilius scriptum ap. Non. v. prosecta (v. Mercer. et Bronkhous. ad Tibull. 1. 6.) et Plin. 32. 1. et 2. cf. de hac confusione Wernsdorf poet. Latt. min. T. IV. p. 581. — L. XXI. a Nonio laudatur (v. patibulum) e Livii autem silentio in tertia decade, ubi Tuberonem quoque et alios, largioribus fontibus inventis omisit, nihil sequitur.

pius eo Livius usus est, sed caute, ut VII. 9. cum familiae suae laudem quaesivisse suspicatus vetustiores praeferat, et X. 9. et 11. et IX. 46. Pisonis auctoritati eum postponat.

§. 22.

Sequitur *Aelius Tubero* qui saepius a Livio laudatur. *Lucium* Tuberonem, Ciceronis aequalem et affinem eiusque fratris Quinti in Asia legatum, quem historias scribere Cicero ipse commemorat (ad Qu. fr. I. 1. 3. cf. pr. Planc. c. 41. pro Ligar. c. 7.) intelligit Vossius de Hist. Lat. 1. 10. ceterique eum secuti Harles etc. etiam Ryckius de primis Ital. colon. p. 439. et Harduini (ind. script. Plin.) Attamen, quod ab iis neglectum esse mireris, *Quintus* dicitur et a Livio ipso IV. 23. et in indice scriptor. Plin. l. II. et XXXVI. Erat hoc praenomen et patri Lucii et filio. Patrem severum stoicum Panaetii auditorem (cf. de eo van Lynden dissert. de Panaet. §. 18.) quem Cicero (Brut. 31.) ut vita ita oratione durum, incultum, horridum fuisse dicit, historias scripsisse nusquam traditur, et fere a moribus et studiis eius abhorret; nec Livius si Tubero ille Aemilii Paulli e filia nepos Rutiliique aequalis (Cic. ad Att. IV. 16. XV. 4.) esset, in citandis auctoribus nomen eius Licinio Macro multo iuniori postponeret, (X. 9. IV. 23.) nec Cicero (Brut. 31.) ubi de eius scriptis loquitur et orationes quasdam eius exstare dicit, tam amplum historiarum opus silentio praetermisisset. Itaque nepotem eius Quintum eas scripsisse puto, qui Ligarium accusavit (v. Cic. orat. et Quintil. XI. 1. 80. X. 1. 3.) et postea ab his studiis ad iuris prudentiam transiit. (Pompon in DD. de Or. Iur. II. §. 46. cf. Bach. H. Iur. c. §. 50. et DD.) Hic opus historicum a patre inchoatum (nihil enim Cicero dicit quam eum historias scribere aggressum esse) sed propter motus civiles quibus eum iactatum constat, intermissum, perficiendum quasi hereditate accepisse videtur. A Dionysio

familiari suo (cf. de Thucyd. iudic. quod ei inscripsit, init. et fin. et epist. ad Ammaeum de Thucyd. init. ubi diserte Κόϊντος vocatur) ut δεινὸς ἀνὴρ καὶ περὶ τὴν συναγωγὴν τῆς ἱστορίας ἐπιμελὴς laudatur (Archaeolog. I, 80.). *Historias* ab U. C. coeptas, ita ut res Troianas repeteret (Serv. Aen. II. v. 15. Or. Gent. R. c. 17.) et in procemio de historia scribenda loqueretur (Nonius v. protinus p. 376 Mercer.), ad sua tempora deduxisse videtur. Certe l. XIV. citatur a Nonio (v. luxuriabat) et bellum Punicum exposuisse apparet e Gellio VI. 3. et 4. In Iulii Caesaris rebus Suetonius eo auctore usus est (Q. Tubero. August. c. 83.), nisi illa e libro eius ad C. Oppium scripto Gell. VIII. 9. desumta sunt. Erat celeber suo tempore historicus, inprimis diligens in colligendis et conferendis veterum historicorum testimoniis, monumentis quoque; certe libros linteos contulit, sed cautus, ut ne hos quidem in antiquorum scriptorum dissensu sine omni dubitatione sequeretur [1]). Mythos historice interpretatus est (Serv. Aen. II. v. 15.) et de reipublicae institutis accurate tradidit (Gell. X. 28 fr.) Vir fuit in republica versatus, orator, et ut antiquitatis studiosissimus ita antiqui quoque sermonis affectator (Pompon. in D. l. c.). Itaque Livius etsi antiquiores magis conquirat hunc tamen fere aequalem sibi conferendum putavit. — X. 9. et 11. cum Licinio Macro Pisonis auctoritati postponitur. Sed pluribus locis eum etiam non citatum secutus esse videtur Livius. (vid. infr.) —

Hos igitur annales in hac historiae parte usurpavit Livius, quos simul commemorat l. IV. 23. ubi antiquioribus (Fabio, fortasse Cincio, et Pisoni) opponit Tuberonem, Valer. Antiatem, Licin. Macrum. Claudii enim historia ibi nondum inceperat.

1) Hoc dicit Liv. IV. 23. „et Tubero incertus veri est," errant, qui interpretantur tamquam fidei eius detrahat Livius.

§. 23.

Nunc ut de subsidiorum delectu, quem Livius instituit, iudicari possit, etiam de iis scriptoribus videamus, quos ab eo sive quod minoris momenti testes videbantur et impensas fugiebat sive quod eos nanciscendi occasio deerat neglectos et non adhibitos vel e fragmentis cum Livio collatis vel ex eius silentio concludi potest, cum auctorem satis gravem, quem laudandi saepius erat occasio, cuius sententia et testimonio ceterorum dissensus et magnas, quibus angitur, dubitationes dirimere potuisset, nunquam ad partes vocavit.

Talis erat *M. Cato* pariter antiquitatis cognitione ac rerum pace belloque gestarum experientia insignis, nec Romanarum solum rerum et annalium sed Italicarum quoque perscrutator diligens, scriptor doctus pariter ac luculentus, Sallustio iudice Romani generis disertissimus, a Livio ipso 39, 40 digne laudatus [1]), quem si non ducem, testem tamen saepe adhibere debuisset. In primo enim *Originum* libro, qui hanc historiae partem continebat, res ante et post u. c. gestas, mythos, instituta, historiam regum et Coss., et hanc quoque satis prolixe, ut probat fr. de Mamilio Priscian. VI. p. 244 Krehl. (ad res a Livio libr. III, 18 et 29 narratas referendum) de Caedicio Gell. N. A. III. 7. etc. et accurate exposuerat. Cuius operis non ante meminit Livius, quam ad Catonis tempora pervenit, 34, 15. id respicit; 34, 6. in oratione adversus Catonem eius mentionem facit; 45, 25. et epit. 49 citat. In priore historiae parte, si Catonem contulisset, multa melius eum ab illo edoceri potuisse nunc quoque ex quibusdam fragmentis apparet [2]). Qui autem factum sit, ut Livius eum neglexerit, non facile

1) Valde eum laudat etiam Fronto praecipue propter Origines — princip. histor. fr. VII. t. II. p. 358. Mai. qui in eo Ciceronem imitatus est.

2) Ut statim l. 1. Cluilium, quem Livius Albanorum regem dicit, (Cato rectius *praetorem* dixerat, unde demum intelligitur quomodo post

dici potest, nisi forte eius praestantiam, de qua non inter omnes conveniebat (quare Cicero de ea Atticum et Brutum sibi ipsi contradicentes inducit) initio cum ad res scribendas aggrederetur non ita novit, itaque opus, quod plura complectebatur capitulatim scriptum (Nepos Caton. c. 3.) [1]) et ut Sallustius dicit multa paucis absolvens, cuius titulus [2]) ipse *annales* solos sectantem non invitabat, omisit. Aera quae a Catone nomen accepit, Livius usus est, sive in hac quoque ne scriptores suos secutus est, sive quia ea tum vulgaris erat [3]).

Sulpicii Galbae historiam prolixe ut videtur scriptam (cf. Plutarch. Romulus c. 17. Oros. V. 23. Nepot. Hannibal c. 13. Suetonius Galba c. 3. "multiplex nec incuriosa historia") quia recens erat scriptor neglexisse videtur. Nec *Scribonii*

---

eius mortem dictator ab Albanis dictus sit (cf. Licin. Macr. ap. Dionys. 5, 74.) etc.

1) In quo, quia ad antiquitatem et praecipue exempla cognoscenda scriptum erat, etiam ducum nomina fere omiserat, sine nominibus res notaverat, v. Nepot. l. c. cf. Gell. III. 7. X. 24. et alia fragm. et idem testantem Plinium H. N. VIII. 5. unde tamen apparet quam diversum fuerit ab annalibus, in quibus coss. nomina cuivis anno praefiguntur.

2) Quamvis *historias* id vocent Nepos, Plutarchus, Charisius; Livii epit. 49. et Plin. VIII. 5. *annales*, et Verrius Flacc. ap. Fest. *originum* nomen minus convenire contendat.

3) Alter Transpadanus Nepos, et Lutatius ea usi (Solin. 2.) et fasti Capitolini (Scaliger Em. T. 387) tum ad eam confecti sunt; Polybius quoque tabula apud pontifices (Dionys. 1. 74.) reperta usus computando iidem invenerat et secutus erat. Varroniana postea sub imperatoribus frequentius adhibita est, etsi Frontinus Catoniana utatur ut docuit Pagius. Iam Fulvii Nobilioris fasti circa a. 563. una cum kalendario (Macrob. I. 12. Varro L. L. V. p. 50.) in aede Herculis Musarum positi (Coelius hist. ap. Charis. I. p. 112. Putsch.) hanc aeram sequebantur, ut apparet e Macrob. I. Sat. 13. ubi Acil. Glabrio consul 562. dicitur (Varro 563.).

Libonis annales novisse videtur, quorum l. XIV. a Cicerone citatur, nec *Cassium Heminam* [1]) (circa a. u. 608.) qui ab u. c. ad sua tempora aut certe ad bellum Punicum II. quod *posterior* non *secundum* vocavit, res Romanas annalibus seu ut alii eas vocant historiis (errat enim van Vaassen animadv. ad fast. p. 169. qui pro diversis operibus habet) satis ample descripsit: l. I. res ante u. c. gestas l. II. de Romulo, Numa; deinde consulum tempora brevius, ut videtur, quia secundo libro etiam urbis excidium, annus 363. (Macrob. I., 16.) inerat. Vetustissimus scriptor a Plinio vocatur, et ut fragmenta docent multa ex sacris libris et traditionibus protulit, sed fortasse ob hoc ipsum a Livio quia in fabellis colligendis curiosus et ineptissimus in urbium nominibus etymologus (quod e fr. quoque apparet) esse videbatur, neglectus est. Nec *C. Sempronium Tuditanum* adhibuit quem Dionys. I. 11. λογιώτατον τῶν Ρωμαίων συγγραφέων vocat [2]) cuius commentarii ab u. c. (Macrob. I. Sat. 16.) libro XIII., ultra quem tamen processisse videntur, ad a. u. 571. pervenerant. (cf. Plin. 13, 13.) Tuditani fragmentum ap. Ascon. ad Cic. pr. Cornel. cum Livio valde consentit (p. 138. Cren. cf. Liv. II. 33.) qui tamen eo non usus est, nec *Lutatii communibus historiis* (cf. Voss. Hist. Lat. I. 12.). Profuisse autem potius videtur Livio, praesertim cum non omnia critico acumine ac diligentia expenderit, quod plures iuniores et prolixos non contulit, ut *A. Postumii Albini* levis et loquacis scriptoris annales et librum de Aeneae adventu

1) De quo videndus imprimis Maffei in Verona illustrata II. 25. sqq.

2) Sempronium Asellionem intelligunt Vossius et interpretes, sed huic *Publii* cognomen erat non *Caii*, nec antiquiorem Romanorum historiam attigit. Dionysii laudem confirmant alia e Tuditano servata apud Gell. XIII. 15. VI. 4. Macrob. I. 13. Dionys. I. 13. p. 36. Orig. Gentis R. c. 10. Plutarch. in Flaminin. c. 14. cf. Cic. Brut. A fragmentorum collectoribus hic ut Galba et alii praetermissus est.

(Polyb. excerpt. l. 28. p. 1481 sq. Gronov.), et grande opus [1]) *Cn. Gellii* cui multa inepta apud Dionysium eius sequacem debemus. Sed doctissimi quoque *Varronis* annales ab u. c. satis ample scriptos, ut videtur, (Charisius enim e tertio libro aliquid de Servio Tullio affert) in quibus sine dubio aeram suam probavit, et librum, quo initia Urbis enarravit: Quinctil. I. 7. §. 12. (nisi is cum annalibus idem est) non adhibuit, nec Antiquitatum libros quibus Dionysius etiam usus est. Ab hoc et aliis recentioribus multa in historia iam lucem acceperant, multa etiam religionibus velata, quae priores evulgare aut non poterant aut non ausi erant, tempore protracta et ad historiam explicandam allata erant.

Historias *Graece* scriptas praeter antiquum Cincium non adhibuit, quod vituperari certe non debet. E *Dionysio* multa Livium hausisse putabat Palmerius (ad Polyb. VI. 55.) alii ut Hooke eum a Dionysio lectum et saepius nomine non apposito perstrictum putabant. An hoc opus magna promittens noverit quidem sed aspernatus sit (ut Niebuhr I. p. 298 putat) dubium est, quia haec historiae Livianae pars prius quam illud absoluta esse videtur. Etsi non plane evincat [2]) Vossii, Lipsiique

---

1) Tertius liber in Romulo adhuc versabatur; l. XV. in urbis excidio Gallico. Libro XXXIII. ad bellum Punicum secundum pervenerat (cf. Priscian. VII. p. 750. et Charis. I. p. 40. et 112. cum Liv. XXIII. 24.) lib. XCVII. citat Charis. I. p. 40. Hunc a Livio non inspectum e pluribus locis apparet e. c. I. 13. fin. id non traditur etc. cf. Gell. ap. Dionys. II. c. 47. etc.

2) Non enim opus erat addere Ianum brevi post apertum esse, ita tamen ut mox rursus clauderetur. Itaque et Vellei. II. 38. Plutarch. Florus, Victor, al. hoc omiserunt. Sufficiebat id narrare quod Augustus magnae gloriae sibi ducebat, post tantum annorum spatium tertio eum id solenni ritu clausisse; v. de Iano clauso commentantes praeter Rualdum et Leopold. ad Plutarch. Num. 20. St. Croix in mémoires de l'académie des inscr. T. 49. p. 391. Venuti in dissert. academ. Etrusc. di Cortona T. IV. p. 95.

supputatio, quam plerique omnes secuti sunt, secundum quam Livius eam ante a. u. 730. quo iterum ab Augusto Ianus clausus est scripsit, tamen non parva annorum serie ad CXLII. libros absolvendos usus esse videtur, cum Diodoro XXX. annis opus fuerit. Et a. u. 770. mortuus est Livius, posteriorem etiam operis partem Augustus legerat (Tacit. Annal. IV. 34.) qui a. 766 mortuus est [1]). Dionysius autem qui a. u. 723. Romam accessit (I. 7.), post XXII. annos (I. 3. cf. Phot. bibl. cod. 86.) scribebat, (a. u. 745.) prius autem libros rhetoricos composuit (Stephan. Operae in Dionys. c. 1.), quando XX. libros ad finem perduxerit, concludi potest. Et multa de suis temporibus in hac parte a Livio dicta probare videntur, eum initio regni Augustei non post plura decennia elapsa hanc historiae partem scripsisse. Inde querelae in praefatione de conspectu malorum, de temporibus quibus nec vitia sua nec remedia pati possint (quae ad Caesaris caedem respicere videntur) et IV. 6. et 9. et quae de bellis civilibus IX. 19. et de infirmis rei publicae viribus VII. 25. 9. dicit, quo etiam referenda observatio IV. 9. Et locus de Augusto IV. 20. [2]), etiamsi non pro postea inserto habeatur satis mature scribi potuit. Aedem enim Iovis Feretrii Pomponii Attici suasu, qui anno 721. mortuus est (Nepos Att. c. 20.) Augustus refecit, et templa, quorum restitutorem eum vocat Livius praecipue a. 726. reparavit. cf. Dio.

---

1) Circa annum 745. Livium ultimam manum operi admovisse non debet (cum Dodwello Annal. Vellei. §. 8. quem sequitur Gibbon miscellaneous works T. III. p. 361. 369.) inde concludi quod ad eum annum substitit eius narratio, cuius rei caussae sunt aliae.

2) Quem Massonus obiecit (Ianus Christo nasc. reseratus p. 52.) qui serius eum scripsisse vult. Prooemium etiam *cuiusdam voluminis* (Plin.) et sine dubio serioris, quo Livius dixerat, iam satis sibi gloriae quaesitum, et potuisse se desinere, ni animus indies pasceretur opere, non ita intelligi debebat tamquam serius et iam lassa et plena gloriae senectute ad historiam scribendam accesserit.

I. 53. pr. et interprett. ad Horat. III. Od. 6. et ad monumentum Ancyran. Contra ad eas aedes quas ipse exstruxit, serius aggressus est. (Sueton. c. 29. 30.) L. IX. 36. dicit silvam Ciminiam magis tum inviam atque horrendam quam nuper fuerint Germanici saltus. Hoc si post Drusi aut Germanici demum expeditiones dictum putamus tempore nimis procedimus. Itaque de Caesare dictum videtur, qui illos saltus non penetravit quidem sed paulo notiores reddidit, nisi potius hoc voluit: aeque horrendam fuisse quam nuper Caesar expertus sit saltus Germanicos. Ceterum librum XXVIII. 12. non ante a. u. 734. scribere potuit, quo Agrippa Cantabros vicit (Vellei. II. 90. cf. 96. Flor. IV. 12. Dio. Cass. 53, 22. sqq. 54. 11.). Si enim ad Augusti expeditionem a. 729. ibi respexisset aliter locutus esset.

Pars II.

§. 24.

Cum igitur ex hoc recensu appareat, Livium etsi praeter minoris auctoritatis scriptores quosdam etiam non spernendos neglexerit, plures tamen et praestantes adhibuisse, inter hos autem quosdam antiquissimos et gravissimos, seriores quosdam et minoris auctoritatis esse, quaestio, quomodo eos inter se contulerit, et *quem eorum quoque loco adhibuerit*, quantum potest accuratissime instituenda est.

Non autem unum perpetuo ita sequitur, ut ceteros subinde tantum inspiciat, ex iis addat, et ubi discrepant, notet, sed alibi alios et simul plures ante oculos habuit, quod in hac historiae parte, cum minor rerum copia esset [1], et facilius poterat, et quia Polybii similis dux hic deerat, fieri debebat. Erat enim in tanta narrationum varietate nemo, qui prioribus diligenter collatis historiam critico iudicio scripserat, nec unum La-

1) Cf. querelas 31, 1. 33, 20. 41, 31. in altera operis parte.

tine scribentem tam fide, quam Graecum Polybium sequi voluisset. Itaque plures interdum quatuor diversas annalium sententias affert, omnes se annales inspexisse nonnumquam dicit. Quem igitur prae aliis sequutus sit nonnisi in singulis operis partibus et locis indicari potest, in qua re tutius versabimur, quia Livius eam narrationem, quam quovis loco elegit, totam fide sequi solet, quod e pluribus (v. infra) praecipue iis locis apparet, ubi post rem narratam singula ex aliis scriptoribus corrigit VII. 27. In universum tum ad locos singulos examinandos tum ad iudicium de illis ferendum, quorum fontes nullis certis indiciis apparent, haec observantur.

§. 25.

Ubi singulos non citavit plerumque aut consensum historicorum aut vulgarem famam sequitur. De multis, in quibus historici discrepabant, sententia quaedam vulgaris invaluerat, mentibus hominum infixa et in sermonibus, orationibus etc. memorari solita, aut religionibus confirmata, nec solum de urbis primordiis in tanta fabularum diversitate, sed in sequenti quoque historia. Hanc *vulgatiorem famam* dicit I. 7. *frequentiorem famam* II. 33. (ubi Pisonis narrationi eam praefert) ita XXI. 46: de Scipione *fama* obtinuit. Huic in vetustate rerum standum esse dicit [1]), haec autem etiam apud historicos aut

1) Cum famam se sequi dicit, hanc non historicis omnibus opponit (ut Beaufort, Meierotto p. 15. seqq. et alii volunt, Livium ut negligentem et famae credulum accusantes) sed aut mythicam historiam ita vocat (I. 49.), aut vulgatam hominum narrationem XLII. 45. I. 16. (cf. Dionys. et Val. Max. V. 3. et Liv. ipse I. 49.) I. 7. sed annalibus quoque proditam cf. XXIII. 20. XXIX. 21. ubi *duplex fama* est diversa scriptorum narratio. XXIII. 12. ubi fama quae vero propior sit, *quorumdam* scriptorum narrationi opponitur. XXV. 16. "Haec vera fama est"; et c. 17. "vulgatior fama" est annalium narratio.

plures aut nonnullos certe erat, eamque praesertim in primo libro et, ubicunque variabatur sequitur, unde saepe in magna narrationum varietate cum Dionysio plane consentit. — Id, quod in praeferendis et comparandis auctoribus respicere solet, ipse indicat XLV. 11. "plures propioresque aetate memoriae rerum" XLII. 11. "plurium et quibus credidisse malis." Cum enim scriptores tempore aequales, ut VIII. 40. queritur, deessent, in dissensu narrationum *vetustati* auctorum plurimum tribuit. Ita VII. 9. propter vetustiorum silentium rem incertam dicit, etsi apud plerosque eam inveniat: VIII. 26. (post rem expositam) "auctoribus hoc dedi, quibus dignius credi est." Cf. I. 44. 55. II. 18. VIII. 30. et vetustiori Pisoni plus tribuit (X. 9.) rem apud neminem veterum inventam reprobat (X. 46.) et valde angitur cum aeque vetusti scriptores inter se dissident, inde II. 21. explicandum "cum nec in tanta vetustate non rerum modo, sed etiam *auctorum* digerere possis." Valde tamen *plurium* consensum spectat. "Auctores utraque tradunt, plures tamen invenio, qui — hos ut sequar inclinat animus" I. 24, II. 32., III. 23. VI. 42. "pluribus auctoribus magis adducor ut credam." Antiquus Piso reiicitur, I. c. 46 quia solus (ut e Dionysio IV. 7. apparet) contra plures stat, etsi illius ratione error historicus et chronologicus [1]) et discordia, quae apud Livium ipsum est [2]) evitetur, et X. 9. ubi Macer et Tubero contra Pisonem antiquiorem stant, rem incertam relinquit. Plurium et praecipue antiquiorum narrationem plerumque secutus esse videtur, sed interdum cum hi breviores essent, recentiores etiam et magis prolixos in rebus exponendis adhibuisse, et quaedam a veteribus non memorata e recentioribus hausisse, praecipue

1) Cf. Dionys. l. c. Vallae disputatio recusa apud Drackenborch. Tom. VII. p. 180. seqq. Beaufort sur l'incert. pars II. c. 5. Bayle dict. v. Tanaquil not. F.

2) Inter caput 40. 41. 46. et 47.

cum causam omissionis videbat II. 8. VIII. 18. ipse addit, "ne cui auctori fidem abrogaverim." Nonnunquam aliter res exponit, quam antiqui e c. Fabius X. 37. et breviori narrationi longiorem praefert, non temere quidem (cf. acerbas Valerii reprehensiones), sed secundum verisimilitudinem et alia indicia saepius alteram eligens (cf. infr.). In plurimis tamen, praecipue ubi ipse varias narrationes contulit, et alios aliter narrare dicit, vetustiores aut plurium consensum sequitur. Sed haec et his similia apparebunt, cum disquisiverimus *quem* aut saltem *quod genus scriptorum* in singulis operis partibus sequutus esse videatur. In qua re tam e Livio quam ex aliis cum eo collatis aliquantum perspici potest, ex ipsa rerum relatarum natura et narrationis indole raro, et admodum caute aliquid concludendum est, cum plura quae serioribus scriptoribus tribuenda videri possunt et his adscribi solent, iam ab antiquissimis expositas esse ipsis eorum fragmentis comprobari possit.

§. 26.

In *primo libro*, quo vulgarem de omnibus famam sequutus, breviter res exponit, *Fabio* antiquissimo scriptore, quem cum *Pisone* solum nomine citat (c. 44. 55.) inde ab initio, ut par erat, usus est, eique in antiquissimis rebus plus tribuit, quam Pisoni, qui colorem mythicum narrationis, quem Livius servavit, detriverat (cf. fr. ap. Varron. L. L. IV. p. 36. Scal. de Curtio cum Liv. I. 12.) res magis ad vitae quotidianae verisimilitudinem composuerat (cf. eum de Romulo ap. Gell. XI. 14. et Plin. XIV. 13. de Numa Plutarch. Num. 21.) tum multos mythos interpretatione refictos aut alios exhibuerat (ad c. 11.). Valde tamen similis Pisonis narratio de Tullii exitu (Plin. 28. 2. 2, 53. cf. et 13, 13.) Livianae (I. 31.) et Piso apud Priscian X. p. 485. Krehl, "quodcunque deliquisset ignosciturum affirmabat" (verba Collatini ad Lucretiam) conferantur cum Livio I.

58. §. 9. *Plures* tamen se adhibuisse prodit statim c. 1. 3. 7. 11. 24. 31. 38. 44. 46. 48. antiquiores autem sequutus multa recentiora (cf. Dionys.) omisit, multa quae postea latius narrata et a Dionys. recepta sunt aliter quam hic exponit. Recentiores, etsi fortasse contulit, tamen iis hic (cf. infra) fere non usus est. In prima historia ante u. c. *Fabium* sequi videtur, quem de Troianis [1]) et Aenea ita exposuisse iam e fragm. supra citt. §. 16. p. 27. apparebat, et qui in Albanorum regum recensu [2]) discrepante Dionysio et aliis, plane cum Livio consentit, latius etiam, quam Livius res exposuit. In eo etiam conveniunt, quod Livius quoque miraculum XXX. porcellorum de XXX. annis [3]) non de coloniis explicat, ut iam Ptolemaei Philad. tempore Lycophron. Cass. 1255. et Romani plures. C. I. ubi duplex narratio erat, ea, quam Livius sequitur de foedere ante proelium inito antiqua est (Cato in Origin. gent. Rom. c. 13.). De Ascanio c. III. ubi duplicem narrationem esse dicit a Fabio discedit. Alii eum Troianae matris filium fuisse tradebant, qui (ne a peregrina oriundos facerent Albanos reges)

1) Troianam originem diu ante Fabium profitebantur, et publice primum quantum scimus in columna Duiliana. Epistola enim ad Seleucum (Sueton. Claud. c. 25.) quam Bochartus antiquiorem putabat (de advent. Aeneae), ad Seleucum Philopatorem Antiochi M. filium scripta videtur, cum Romani non ante hunc cum Syriae regibus pro imperio agere potuerint; (cf. similia in pace cum Antiocho Liv. 38. 39. etc.) postea prolixe omnes scriptores; et Postumius Albinus singularem librum de adventu Aeneae in Italiam scripserat iam ante Polybium.

2) Apud Maium Philon. inedita p. 46. seqq. et Euseb. Aucher. p. 388. Huc referendum est Fabii fr. ap. Gell. V, 6. (de Proca qui XXII. annos regnavit cf. Paul. Diac. 1. c. 4. Dionys. etc.) quae fr. Niebuhr nondum noverat, qui alia omnia statuit t. I. p. 140 cf. Euseb. chronicon Ol. 7. de Apollodoro et Euphorione Chalcidensi.

3) Diversa erat quaedam traditio de laribus grundilibus, Romulo hoc portentum accidisse, ap. Cassium Heminam (Diomed. 1. p. 379.).

successorem ei Silvium fratrem Lavinia natum dabant, (Fabius l. c. Lutatius et Tubero in Orig. g. R. c. 9. Dionys. Fest. v. Silvii. Cato ap. Servium) Livius Laviniae filium Silvii patrem, unde regum series una generatione augebatur. Quemnam antiquiorem sequutus sit non invenio. Servius ad Aen. 1. 274. pro errore habet. Ceteri Ascanium bellum continuasse Turnumque interfecisse tradunt, secundum Livium sub tutela matris est, illi pacti quiescunt; fortasse *Piso* haec ita ut Livius tradiderat, certe Turnum non ab Ascanio interemtum, sed sibi mortem conscivisse narravit, Orig. G. R. c. 13. Circa urbem condendam vulgarem fabulam a Fabio quoque expositam exhibet [1]), unde valde consentit cum Plutarcho. Omnia breviter contraxit, quaedam etiam indirecta oratione profert. Recentiores, ut Licinius Macer, ap. Dionys. aliter narrabant. C. IV. "sunt, qui Larentiam" etc. non modo Valerius Antias [2]), (Orig. G. R. c. 21.) sed antiquiores etiam (cf. Cato apud Macrob. Sat. 1. 10. ita rem narraverant, quamquam illa arguta lupae explicatio multo serior esse videatur, quam cetera quae de Larentia Romuli nutrice et fratribus arvalibus narrantur. C. V. de Romulo in Lupercalibus capto a Fabio discedit, cum *Tuberone* (Dionys. I. c. 80.) consentit. Fabius Romulum Caeninae sacrificio occupatum fuisse narraverat (Dionys. I. p. 201 et 208. R.) consentiente Plutarcho, qui eum in plurimis sequitur. C. VII.

1) Fabius prolixius narrabat de Ilia compressa (Origo G. R. c. 20.) in spelunca Martis (Serv. ad Aen. 8. 630.) de lupo femina (Quintil. Institut. or. 1. 6. 12.) et pico Martio (Nonius p. 518. Mercer.).

2) Scriptores recentiores in succincta huius libri narratione non sequi videtur, discrepat a Licinii Macri fragm. ut a Valerii Antiatis omnibus: cf. fr. ap. Orig. G. R. c. 19. 21. Macrob. l. 4. 13. Arnob. V. 1. Plin. 6. 7.; 3. 5. (cf. Liv. 1. 53. cum quo consentit Tacitus Hist. III. 72. Dionys. IV. 57.) 13, 13. Plutarch. Rom. 14. de fortuna Romanor. p. 323. (Francof.) de Celere Dionys. II. 13. cum Livii locis. Idem in Licinio Macro est.

de Evandro et Hercule iam Fabius narrasse videtur, (sicut *Cato* Servio et Solino testibus et antiquus *Cass. Hemina* Orig. G. R. c. 6. et *Cincius* de Evandro: Serv. ad Georg. I. 10.) an ut Dionys. ante u. c. de quo tempore latius, quam Livius exposuit, an interiecta narratione ut hic, incertum est [1]). C. IX. a Fabio dissentit, apud quem (Plut. Rom. 14. Dionys. II. 30.) non legatione, sed statim vi agitur. C. X. Fabium (cf. Dionysium II. 38.) sequitur de Tarpeia cf. Plut. Rom. c. 17. et Serv. Aen. I. 450. Pisone reiecto, quem respicit: "*sunt qui* eam ex pacto", qui Tarpeiam armis Sabinos nudare voluisse etc. (v. Dionys. a. 320. Flor. I. 1. 12. et al.) deinde de ludis Tarpeiis in honorem mortis, quam volens pro patria subierit, institutis tradiderat (Tertull. de spectacul. c. 6.). Antiquiores etiam in narratione de spoliis opimis et Romulo ovante sequitur, cum alii quos sequitur Dionys. Propert. etc. ei currum triumphalem albosque equos tribuant. cf. Plutarch. C. XIV. "Lavinii ad solemne sacrificium" (Plutarch. Rom. 23. Dionys. II. 51.), ita ut videtur antiquiores. Licinius Macer aliter, v. Dionys. l. c. — Quemnam Livius in Fidenarum expugnatione sequutus sit parum constat. Habet haec narratio strategematis nec Dionysio 2, 53. nec Plutarcho (qui c. 23. Rom. duas alias affert) nota seriorem speciem, et in alia Fidenarum oppugnatione eadem occurrit, et narrationis (c. 15.) minus antiquus color est. C. XVIII. ubi scriptores refutat qui Pythagoram Numae praeceptorem edant, fortasse Pisonem aut Valerium Antiatem respicit, qui ita narrabant (Plin. 13. 13. Liv. 40. 29.). C. XX. Eique sacra omnia exscripta dedit. Hic Piso iam de Numae libris (Plin. XIII. 13.)

1) De Evandro Fabius apud Victorin. de orthogr. p. 2468. Itaque non primus auctor est Polybius et seri poetae Graeci ut Niebuhr I. p. 124. sq. statuit. Cum Romanis Hercules iam ante a. 356. per libros Sibyll. innotuerit (Liv. V. 13.) mature et diu ante Appium hoc nomen antiquis fabulis Italicis illatum esse videtur. cf. infr. in excurs. II.

narraverat, quod Livius hic omisit et XL. 29. narrat, ubi Antias citatur, qui hic quoque de hac re exposuit v. Plutarch. Num. 1. c. 22. ut etiam Cassius Hemina cf. Florid. Sabin. Subseciv. c. 13. In Tulli morte c. XXXI. fin. mirus consensus cum Pisone, (Plin. 28. 2.) quod ille dixit: ex Numae libris, id Livius paululum amplificavit: volventem commentarios Numae. C. XXII. de legationibus plane eodem modo narrat Diodorus, qui Fabium sequitur [1]) (excerpt. tom. IV. p. 36. Schweigh.). Dionysius discrepat. C. XXXIV. Narrationem de Tarquinio Prisco et Tanaquile Etruscis, non Polybii modo, (ut Niebuhr vult I. p. 215.) sed *Fabii* quoque tempore iam receptam fuisse concludi potest e Dionysio qui Fabium citat (IV. 6. et 30. et de Egerio c. 64.) et apud Cassium Heminam erat (Macrob. III. 4.) et a Claudio Imp. (orat. tab. 1.) ex Etruscis libris affertur. — Livius hic quoque antiquiores sequutus immensas et saepe addubitatas Tarquinii Pr. victorias de Etruscis et Sabinis (Dionys. II. 63. Oros. quoque II. 4.) plane ignorat. C. XLVI. Pisonem respicit, sed pluribus auctoribus postponit. Hic enim (Dionys. IV. 7. p. 653.) *solus* ratione temporum subducta narraverat, non filios Prisci sed nepotes fuisse [2]) Tarquinios. Fabius quoque sicut Liv. *filios* (Dionys. c. 6. et 30.) quem fortasse sequitur. Augusti tempore superfuisse Servii descriptionem Centuriarum et Classium e Verrio Flacco apparet: (Fest. v. procensu et procum p. 383. et 387. Dac.) Livium inde hausisse nullum vesti-

1) Cf. Dodwell. de cycl. p. 581. Heyne fontes Diodor. comment. II. sub fin. in Comment. soc. Gott. VIII. p. 118. sq. Niebuhr II. 79. etc. fragm. Euseb. Ancher l. c. Etiam aeram Fabii sequitur quod multis exemplis docuit Petavius D. T. IX. c. 55.

2) Postea Pisonis sententia e temporum ratione desumta invaluit; cf. Dionys. Flor. Victor. Plutarch. (Publ. 21.) Claud. in orat. Gruter. inscript. p. 502. Pomponius de or. iur. cum Bynkershök. emendatione, Constant. Manass. Fasti Capitolini. Antiquiores tamen sequitur etiam Cic. Brut. 14. Strab. V. p. 231. Gell. 17. 21. al.

stigium est, quamquam c. ult. fin. loquitur de Servii commentariis. Fabium h. l. non potissimum sequitur, sed de censu Servii c. 44. eum nomine citat, et aliquid ex eo adiicit [1]). C. XLVIII. "deponere voluisse quidam auctores sunt." Seriores, quos Dionysius sequitur, hanc causam seditionis contra Servium exortae dixerant. C. LV. *Fabium* in epitomen contraxit, qui (Arnob. VI. 7.) de capite invento Oli h. e. Auli cuiusdam (cf. Plin. 28. 2. Serv. ad Aen. IX. 448. VIII. 345.) latiorem narrationem dederat, quam Plin. l. c. constantissimam annalium affirmationem dicit. Eodem capite *Fabium* ut antiquiorem et verosimiliora narrantem Pisoni praefert.

§. 27.

Liber II. *Plures* eum hic quoque contulisse multi loci probant, in quibus aut res a quibusdam narratas affert 5. 41. 54. etc. aut de quibus dissentiant c. 18. 21. 31. 41 et c. 17. ubi scriptores suos nomen cos. omisisse arguit. *Veterrimos* autem auctores se sequi non semel indicat c. 18. 8. et 33. — *Fabium* ante oculos habuisse videtur, quem tamen ibi tantum, ubi a ceteris dissentit nomine citat c. 40. Nec *Pisonem* neglexit, quem nomine citat c. 32. ubi tamen frequentiorem famam praefert [2]); c. 33. et c. 58. sunt, qui — Pisonem innuit (ut apparet e cap. 58. ubi nomen appositum), cum quo consentit Laurent. Lyd. de magistrat. p. 65. et 75. Et cum recentiores annales nunquam citantur, narratio quoque fere ubique anti-

---

1) Errare videtur Niebuhr I. p. 282. Livius Fabium, Dionysius γρίμματα τιμητικὰ exactiorem numerum exhibentia sequitur, quem etiam Paulus Diac. I. 12. habet ex aliis fontibus.

2) Cf. Sallust. fr. Histor. 1. ap. Augustin. C. D. II. 18. Iugurtha 31. Cic. de Legg. III. 8. et Pseudomessalla cap. XX. Videtur tamen Piso id quod in secunda seditione factum erat (Liv. III. 54. et al.) ad primam transtulisse.

quitatis speciem habet, ita ut, licet Valerium Antiatem aliosque iuniores fortasse consuluerit, tamen eos in multis sequutus esse non videatur, cf. e. c. pugnae Regillensis c. 19. seqq. descriptionem cum Dionys. VI. 11. sqq. qui Gellium et Licinium Macrum ibi sequitur (cf. Flor. I. 11.); et Licinium ap. Dionys. V. 47. Plin. H. N. XV. 29. cum Liv. II. 16. E discrepatione de primi anni consulibus cum Polyb. III. 22. (a Perizonio dissert. de republ. Rom. p. 697. sqq. recte explicata) concludi non potest Livium recentiores annales hic sequutum. Initio libri c. II. de Collatino cum *Pisone* apprime consentit. Nimia libertatis cura *nomen* eius invisum civitati fuisse narrat, cum nihil aliud offenderet (cf. et IV. 15. "nominis odio abdicari iussum"): ita *Piso* apud Gell. 15, 29. qui ut Livius quoque librum II. a regibus eiectis incipiebat. Alii ut Dionys. V. 9. sqq. Plutarch. in Publicola c. 7. Zonaras VII. 12. longe aliter. Romae remanet, et cognatos perduelles defendere conatus accusatione inde orta eiicitur. De Cloelia vulgarem narrationem habet, quam *Piso* quoque sequebatur, a quo tamen in eo dissentit, quod hic statuam ab obsidibus positam narravit: Plin. 34. 6. Altera narratio quam Annius Vestalis (Plin.) sequebatur et Plutarchus (Public. et de mulier. virt. c. 20.) commemorat, sine dubio ut multa alia huius temporis e Valeriae gentis commentariis quae nobilior quam Cluilia facta est, fluxerat. De Coclite Polybii dissensum (VI. 53.) nullum puto. Nihil dicit, nisi eum morti se destinasse, de quo servato aliquid addi, cum ibi tantum ut magni animi se devoventis exemplum adducatur, non opus erat. C. XIV. De Porsenae foedere magnam narrationis varietatem (cf. Tac. Annal. III. 72.), quam Plin. XXXIV. 14. *vetustissimis auctoribus* tribuit [1]) plane ignorat. Apud Fabium et Pisonem,

1) Non accurate enim Plinium inspexit Beaufort de l'incert. II, 7. quem sequitur Micali, Wachsmuth p. 3. et al. qui de foedere Plinii et Taciti temporibus superstite cogitant. Dirksen (*Civil. Abhdl.* I. p. 5.)

quos hic contulit certe non fuit, et Plin. XIII. 13. XXIX. 1. Heminam quoque illis iuniorem *vetustissimum auctorem* vocat. De c. XVIII. seqq. cf. infr. §. 47. C. XXI. e brevioribus, ut videtur, annalibus succinctae actorum commemorationes init. anni 259. desumtae sunt; de aede Mercurii ex aliis postea c. 26. repetit. Bellum Sabinum, quo Romani (Dionys. V. 49.) decem millia iugerum ceperint, Macer quoque multo in maius quam Livius auxerat (Dionys. V. 47. Plin. XV. 29.). C. XXXIV. *Veteres* scriptores (vid. Dionys. VII. 1.) secutus Licinii, Cn. Gellii et aliorum vitium evitavit, frumentum a Dionysio datum narrantium [1]). Veteres nihil nisi tyrannos Siculos misisse tradebant. C. XXXIII. Antiqui nihil narrabant, nisi bello Volsco Marcii opera Coriolos captam, ducem, sub quo factum erat, Cominium ob causam, quam affert, ab iis omissum Livius ex aliis secundum foederis monumentum addit [2]). C. XXXVI. Si Cicero (de div. I. 26.) accurate refert, Livius eo dissentit a *Fabiis*, Gelliis etc. quod hi ludos instaurativos ideo factos dicebant, quod bello Latino [3]) civitas inter ludos ad arma excitata erat, tum demum miraculum illud accidisse, Livius ob ipsum miraculum instauratos

---

etiam Latine scriptum fuisse e Plinii verbis concludit, alii Clusii hoc foedus inventum suspicati sunt. Ceterum Hemina quoque rem ita ut Livius narrasse videtur: cf. fragm. de Scaevola ap. Non. v. censere.

1) Perperam scilicet huc transferebant, quod ad similem rem (Liv. IV. 52.) pertinebat.

2) Nescio, quomodo Niebuhr I. p. 430. e Livio concludat, apud antiquos scriptores Coriolanum imperatorem fuisse. De cognomine (cf. p. 435.) e quo totam rem ortam putat, Livii locus nihil probaret, repugnantibus aliis ap. Liv. ut IV. 17. et h. l. II. 33. (et cf. infr. §. 45.) De anno quoque consentiebant annales. Liv. III. 71. ubi numeri computati accuratissime hunc annum efficiunt (cf. Heusingeri adnotat. ad l. Paul. Diacon. I. 19. etc.)

3) Puto innui rem a Livio II. 18. narratam de Sabinis (cf. c. 37, 6.).

narrat, in ceteris hic apprime cum illis consentiens. Fabius, quem Dionys. quoque in descriptione horum ludorum citat, (VII. 71.) haec cum Coriolani rebus coniunctissima et sequentia ita ut Livius narraverat, mortem Coriolani, de qua *sola* dissensus erat, aliter ab eo relatam esse observat Livius c. 40.[1]) et sine dubio adnotaret, si talia, qualia Niebuhr I, 432. apud Fabium fuisse suspicatur, invenisset. C. XL. 1. Valerium Antiatem et alios Valeriae genti hoc decus tribuentes (Dionys. VIII. 8. Plutarch. Coriolan. 33. Appian. Ital. c. 3.) non sequitur, fortasse hos recentiores respicit cum se *parum invenire* dicit. Seriores totam narrationem (cf. Dionys. l. c.) variis modis verosimiliorem reddere studuerant, quos non sequitur. c. 43. Mox c. XLV. seqq. inter succinctas narrationes Fabiorum res gestae latius et ornatius expositae, per Fabiorum commentarios fortasse etiam per duas orationes funebres c. 37. (cf. VIII. 40.) propagatae erant. C. L. De Cremerana clade antiquiorem et mirabiliorem narrationem sequitur cf. Dionys. In sequentibus, ubi nullas discrepationes affert et cum Dionysio valde consentit, scriptores non variasse videntur.

§. 28.

Liber III. Nomine nullum citat praeter Antiatem c. 5. §. 12. a quo numeros nimis exacte relatos reprehendit, quem tamen in historia belli satis prolixa ibi adhibuit c. 4. et 5. et fortasse c. 8. et 31. *Plures* eum contulisse docet c. 8. 23. 26. quamquam non omnes discrepationes affert (Dionys. X. 20.) c. 70. *omnes* quos habebat inspexit. *Vetustiores* hic quoque maxime sequitur, ita c. 23. descisse Antium et oppugnatum plerique tradebant (cf. tabb. triumph. et Dionys. X. 22.) *antiquiores* silebant, quos Livius hic et in tota narratione sequitur;

1) Memorabile est Zonaram quoque ut Fabium narrare eum senem mortuum, VII. 16. fin.

nam apud eum c. 22. et 23. Cornelius Romae ad praesidium remanet; in sequente tamen capite 24. alteram narrationem sequitur; Cornelius Roma abest, et ambo consules triumphantes redeunt. — C. XXVI. de Cincinnato est vetustior forma narrationis (cf. Dionys. X. 24.) C. XXXIII. discrepationem quam Niebuhr II. 117. notavit non video; novum magistratum dicit, non in perpetuum institutum, nec usquam de plebeiis decemviris priore anno creatis vestigium exstat. — C. XLIII. Haec omnia breviter exponit (cf. quae de Siccio annales tradebant, Gell. II. 11. Plin. VII. 28. cf. 16, 4. 22, 5. Dionys. X. 33. Valer. M. III. 2. 24. qui Varronem citat, et Fulgent. v. nefrendes.) In sequentibus de Virginia etc. nullam narrationis varietatem notat, videntur consensisse annales [1], unde mira concordia cum Dionysio, Livianae tamen narrationis antiquior ac dignior forma et species est. Antiquos hic quoque contulit; (c. 47.) et c. 57. de discrepatione, quae levioris momenti est observat.

§. 29.

Liber IV. Plures eum contulisse apparet, c. 12, 16, 13, 21, 26, 34, 46, 49, 55. et consensum auctorum se sequi saepius profitetur: C. 26. *omnes* ante me; c. 20. tam *veteres* annales. Recentiores quoque scriptores hic adhibuit, interdum etiam refellit. *Licinius Macer* laudatur c. 7. et 23. *Tubero* et *Antias* c. 23. et *librorum linteorum* testimonium ex iis desumitur. Non dubium autem est saepius eos adhibitos, praecipue ubi Livius *quosdam annales* etc. citat, cum c. 13. et 20. quoque ex alterutro ita hauserit, ut nomina non apposuerit, cf. supra §. 9. Prolixos scriptores hic in rerum expositione nonnumquam sequutus esse videtur, (e. c. c. 27. ubi omnes inferiores duces accurate

1) De pontificis nomine varietatum v. Drakenborch. ad C. 44. *Orator*, qui in fragm. Cornelianae 1. ap. Ascon. primis legatis tribuit, quod Livius de secundis narrat, vix annales accurate secutus est. Ipse aliter tradit in Bruto c. 14.

nominantur), sed tum cum antiquiores etiam de summa re consentiebant. C. XXIII. antiquiores aut non contulit, aut non accurate; consules, qui apud Macrum, Antiatem et Tuberonem erant, affert, hos non dissimulare dicit tribunos militum apud *antiquos* inveniri. Ipse horum tribunorum nomina e Fabio (nunc quoque apud Diodorum exstant 12, 53.) aliisque non addidit, quae si accurate cum Tuberonis Antiatisque coss. contulisset, vidisset ab his errore coss. dictos, qui trib. mil. [1]) erant, annumque habuisse et coss. Macri et tribunos mil. ut IV. 7. ubi quidam eodem vitio alterutrum magistratum omittebant; (cf. et Dionys. XI. 62. et IV. 31. init. et 30. fin. "ut Quinctius Cos. ad populum ferret", quo uno difficultates huius loci tolli possunt ut T. Quinctium cos. suffectum esse statuamus.) Tunc querelas de vetustate incomperta hic certe proiecisset. C. VII. veriorem narrationem sequitur. Altera in patriciorum favorem ficta videtur, cum iam antea consulibus ad bella non sufficientibus procoss. quaestoresque missi sint. (Liv. III. 4. Dionys. IX. 16. X. 23.) C. XVI. quorumdam narrationem (ap. Plin. quoque 18, 3. et 34, 5.) reiicit, ut etiam c. 34. et c. ult.

§. 30.

Liber V. Rarius historicorum dissensus commemorantur, quamquam hic quoque plures inspexit, e. c. c. 12. C. I. ubi octo tribuni afferuntur censorum nomina cum iis confusa sunt, (cf. fast. Capitol. et Pighium Annal. a. 209.) non ut putant a Livio, qui ipse miratur, sed ab aliis, quos sequitur. Nam Diodorus quoque XIV. 35. M. Furium tribunum h. a. affert, et

1) ita censorum nomina cum tribunis confusa V. 1. quod facile accidebat fastos magistratuum inspicienti. Similis confusio est ap. Diodor. XII. 3. — Beaufort de l'incert. p. 98. plures editiones librorum linteorum fuisse hinc concluserat; Perizon. animadvers. hist. p. 179. pro errore memoriae scriptorum habebat. Hanc quam indicavimus causam confusionis fuisse docet nominum collatio.

Livius in numero tribunatuum hunc computat V. 10. Cf. et VI. 37. „octona loca" et Claudius imperator in tabula Viennensi. Itaque in aliis locis eos sequitur qui censuram non tribunatum hoc anno notabant ut VI. c. 18. Camillus tribunus est *quintum* non sextum, hoc tribunatu omisso, c. 22. sextum non septimum, c. 14. iterum [1]). Videtur tamen non omnes scriptores hic inspexisse, cum Camilli censura clara fuerit, Plutarch. Camill. c. 2. Valer. Max. II. 9. ext. 1. C. XIII. apprime consentit etiam in singulis cum *Pisone* ap. Dionys. excerpt. Maii XII. 9. [2]). In Veiorum oppugnatione antiqua et miraculosa narrationis species, formula oraculi etc. probant eum vetustos sequi: cf. Cic. de divin.

1) VI. 18. cum ed. vett. *quintum* exhibeant et Ms. novem ap. Drakenborch. Q. (Quintus) quod e V. (quintum) ortum est, eo minus cum Glareano, Perizonio, Heusingero *sextum* reponendum, aut cum Drakenborchio vocabulum omittendum est, quod caussa ob quam Livius ita scripsit apparet; idem dicendum de c. 22. ubi ex antiquis Ms. et edd. VI. pro VII. repponendum est, ut c. 14. *iterum* e Mss. plerisque et edd. antiquissimis.

2) Apud Dionys. dii gemini una collocantur (ut factum est ap. Liv. XXII. 10.) propterea legendum putabam: Apollinem Latonamque, Dianam, Herculem, Mercurium atque Neptunum, omisso *et* quod abest a bono cod. Lovel. 2. Heusingerum vidi coniectura in idem incidisse, nisi quod is citra necessitatem *et* post Dianam inserit. Nunc tamen verissimam puto vulgatam lectionem, qua Diana non a matre separatur, sed consanguinitatis respectu habito Latona cum filiis primo pulvinari insidet, alteri Hercules cum Mercurio, tertio Neptunus maior deus. (cf. et V. D. *im Magazin für Schulen.* Bremae 1791. B. II. St. 1. S. 192. sq.) Latona saepius media inter filios occurrit, ut in ludis saecularibus apud Zosimum II. c. 5. qui pro hoc lectisternio hoc ipso tempore ludos saeculares habet, sic ut Fasti Capitol. in a. 533. tertios ludos saeculares reponunt, quo lectisternium factum ap. Liv. XXII. 10. et al. Quamquam hoc alio modo expedit Ideler in commentat. academ. Berol. cl. phil. 1819. p. 152. Inde mirus ille dissensus de ludorum temporibus partim explicandus est. Apollo et Diana etiam XXII. 10. in eodem pulvinari sedent, nec usquam credo in huiusmodi sacris separati sunt.

I. 44. cuius narratio ex annalibus ut dicit hausta magis concinit Dionysio XII. 16. et 17. Mai. De transitu Gallorum cf. supr. §. 14. C. XXXI. §. 3. *tradunt*, Romanos scriptores respicit qui de his consensisse videntur. In sequentibus de clade Gallica *Claudio* quoque uti potuit, et harum rerum descriptiones e pluribus inter se collatis hausisse videtur. Dissensus non observat; consensisse de summa rei videntur scriptores, certe c. 41. rem nonnisi a quibusdam expositam esse diligenter notat. Hinc magnus consensus cum Plutarcho in vita Camilli et Dionysii excerptis etiam de clade, quam Camillus Gallis intulit (Liv. c. 49. Plut. c. 29. Dionys. p. 21. seqq.). Qui Polybii auctoritatem sequuti (I. 6. II. 18. et 20.) hanc narrationem ante Livium vulgatam fuisse negant, certis testimoniis refelluntur. Quum enim Diodorus veteres annales Fabiumque praecipue sequutus rem fere eodem modo narret (XIV. 114. seqq. aurum a Camillo in liberanda illa urbe receptum idem est cum clade ad octavum lapidem Gabinae viae illata) et Dionysius aliis annalibus plerumque usus, Ovidius fast. VI. 351. seqq. Verrius ap. Fest. s. v. vae victis, Claudius quoque Quadrigarius, quem Livius hic etiam adhibuit, eadem, quaedam etiam latius exposuerit (cf. fr. ap. Gell. 17. 2. [1]) et antiquior Cassius Hemina quem Appianus sequitur (Celt. fr. VI. p. 81. seqq. Schweigh. cf. eius exercitationes in Appian. p. 58. sq.) hanc narrationem in annalibus pervulgatam fuisse [2]) certum est, pro-

1) Et ibid. *Claudius*: occaso sole *Liv.* c. 39. sub occasum solis (ceteri fere tertio die ingressos dicebant). — *Claudius*: "putabant eos, qui foris atque qui in arce erant inter se commutationes et consilia facere." *Liv.* c. 37. "apud Gallos — vulgatum erat inter Veios Romamque nuntios commeare" etc.

2) Iustin. 28, 2. 38, 4. (in oratione ab hoste habita) Varro L. L. V. 47. "decessus Gallorum" et quos Livius X. 16. (in oratione) sequitur, nihil contra vulgarem narrationem, quae tamen aliis argumentis satis vacillat, probant, potius Iustin. 43. 5. 9. Historia ap. Sueton.

ptereа a Livio sine dubitatione affertur. In eo tamen fortasse narrationem elegit, quae Romanorum virtuti bellicae magis favere videbatur, quod eos a fortuna plane obcaecatos depingit, parvum et ut ad media bella tumultuarium exercitum delectum (quem Polyb. II. 18. Plutarch. Camill. 18. Diodor. XIV. 114. Dionys. p. 27. ut validissimum describunt) Romanos nulla fere pugna tentata fugientes (ceteri aliter) Gallos ipsos victoriae miraculo stupentes etc. Ita Camilli superventus apud antiquos (cf. Diodor.) non fuisse videtur, et de tribunis creatis alii magis consentanea tradebant. Videtur cum in summa re consentirent, in descriptione prolixiores ut *Claudium* etc. adhibuisse, unde quaedam minus consentanea e. c. inermem turbam cum abire posset mansisse, misericordia quemque in capitolium receptum esse etc.

§. 31.

Liber VI. Claudium solum nomine citat c. ult. cuius narrationem ibi quidem reiicit. Tamen in hoc quoque libro plures adhibuit, saepe ubi dissentiant observat. c. 2. 9. 12. 38. 42. Saepius omnes, quos habebat, inspexit, cum affirmat inter omnes auctores convenire (c. 12.) aut apud neminem au-

---

Tib. c. 3. sero orta apud illam familiam est, inde quod Drusus (cf. Liv. epit. 63.) auri aliquid deposuit in thesauris auri Gallici (Plin. XXXIII. 1. cf. Appian. Civ. II. 41. et Manutius in Cic. ad Att. VII. 15.) in capitolio, ut iam Sulpitius. (Liv. VII. 15.) Aurum ibi collectum aliis persuasit, non mille, sed duo millia pondo Gallis data esse, Varroni etiam ap. Non. v. torques; cuius fragmentum ap. Non. v. genitiv. pr. ablativ. quo Capitolium quoque a Gallis captum dicit, sine dubio corruptum est, cum in ceteris vulgatam narrationem sequatur: cf. qui post alios id emendavit v. Vaassen animadv. ad Fastos p. 195. Apud Silium IV. v. 150. sq. arrogans hostis nimium se iactat, ap. Lucan. V. 27. poeta rem exaggerat, et apud Simulum poetam Plutarch. Romul. c. 17. fabulae sunt, magis lepida etiam apud Polyaen. VIII. 25. 1.

ctorem se invenire [1]) (c. 20. 4.). Saepe in dissensu unam narrationem eligit ceteris non commemoratis (cf. Plutarch. Camill. 36. cum Liv. c. 15. seqq. et tres diversas narrationes ap. Diodor. XIV. 117. Plutarch. c. 34. cum Liv. c. 2.). Tunc autem plurimos sequi videtur, ut solet, et antiquiores, ut Fabium (cf. infra). Fabulosa narratione in sacris tradita omissa (Plutarch. c. 33. Varro L. L. V. p. 47. Scal.) eam, quam plerosque scriptores habere Plutarchus tradit (c. 34. init.) solam sequitur, (c. 2.) ipse c. 42. se *plures* sequi dicit. C. I. E pluribus hausit; primum ex iis, qui diem Alliensem ante d. XV. kal. Sext. quo proelium fuerit statuebant, deinde ex aliis, qui XVII. kal. etiam diem atrum esse ob male litatum et tertio inde die (XV. kal.) pugnatum dicebant. Sed de his plura diximus in commentatione de die Alliensi aliisque Romanorum diebus religiosis. At c. XXIX. quoque accusatur Livii aut fontium eius integritas (Niebuhr II. 304.) cum Velitras captas tradat, adversante veteris inscriptionis testimonio. Sed Praeneste cum VIII. aliis urbibus captum dicit, (ita et Paul. Diacon. II. 1.) inscriptio autem IX. urbes decimamque Praeneste commemorat, ex quo apparet, in hac quoque Velitras ad IX. illas pertinere. Wachsmuth quoque p. 446. non recte dicit non nisi IX. urbes in inscriptione commemorari, et Heusingeri coniectura „oppida novem diebus novem" non necessaria videtur, quod eum qui summam tantum inscriptionis dabat, non opus erat adiicere: tum decumam Praeneste, aut: novem diebus. — Nec historiolam illam c. XXXIV. quam non consentaneam demonstravit Beaufort II. de l'incertitude c. 10. et Niebuhr II. 337. ex recentioribus annalibus desumtam esse certum est. Livius eam ut narrationem de

---

1) Narrat id tamen Zonaras VII. 24. sed fabula videtur *sero* orta, inde quod Manlius in capitolio habitabat et ibi de saxo deiectus est. Fortasse Livius et h. l. et c. 18. fin. eiusmodi famae contradicit: "*in nullis* annalibus se invenisse."

qua inter omnes constet affert; videtur iam pridem a patriciorum invidia Licinii rogationibus talem causam subiiciente prolata esse. Nec probari potest, Livii narrationem de pugnis Romanorum cum Gallis ex imparis fontibus fluxisse; inique agunt, qui Polybii succinctum recensum (l. II. 17. 18.) quo nonnisi incursiones contra Romanos ipsos factas commemorat comparantes ex illius silentio Livium redarguunt. — Imo quaedam a Polybio omissa esse probat etiam temporum ratio. Cum enim semper ab una irruptione ad alteram tempus accurate subducat, octo anni deficiunt. XCIX. enim efficit, cum tamen ab urbe capta ad annum, quo Lucius Cos. caesus est, sint CVII. — In ultima huius libri parte aut *Fabium* aut eos qui Fabii annorum computationem sequebantur praecipue adhibuit. Ab urbe a Gallis capta (Ol. 98. 1. Liv. V. 54. u. c. 365.) ad primos coss. e plebe designatos (ineunt VII. 1.) XXII. anni sunt secundum Livii narrationem (cf. Perizon. Animadvers. hist. c. ult. p. 462, seqq.) Totidem erant secundum Fabium, (Gell. V. 6.) ceteri autem XXIII. annos faciunt et anno XXIV. magistratum iniisse. (cf. eumdem et chronol.) Posteriorem rationem Livius sequenti libro in computationibus sequitur, huius libri narrationi non consentaneam, sed vel ex aliis annalibus, vel e fastis quibusdam ab eo inspectis haustam. Ita l. VII. 1. Camillum XXV. annos post Romam captam vixisse dicit, plebeii igitur coss. anni praecedentis magistratum gessere a. XXIV. designati sunt a. XXIII. non XXII. Ita VII. 8. a. u. 400. ab excidio XXXV. annos computat, a plebeiis coss. XI. Hos igitur XXIV. annos post excidium ponit. — C. XLII. Claudii [1]) narratione reiecta *plures* se sequi dicit.

1) Duas pugnas confudisse videtur Claudius, quod in altera dictator in altera magister equitum erat T. Quinctius Pennus. Sequitur eum Plutarchus Camill. 40. 41. (ubi pro τρισκαίδεκα (ιγ') legendum τρισὶ καὶ εἴκοσι (κγ') ut apud Polyaenum quoque VIII. 7. 1.) et Zonaras VII. 24. non Dionysius ut Niebuhr suspicatus erat II. p. 307. nec

Propterea et quia Dionys. excerpt. Mail p. 38. Zonaras VII. 24. et fasti triumphal. consentiunt, non credo solum peioris notae annales hoc exposuisse, nec e Diodori et Polybii (II. 18.) silentio sequitur, Fabium eam ignorasse, ut Niebuhr vult, qui pugnam ad Albam a. 406. huc translatam putat II. 507. (assentiente Wachsmuth. p. 448. et aliis.) Cum Polybii quoque narratione hoc non consentit, qui pugnam ad Albam XXX. annis post urbem captam a. 394. aliam autem a. 406. fuisse tradit. II. 18. Annales eo variabant, quod alii priorem pugnam (a. 388.) ad Anienem factam narrabant (Quadrigar. Plutarch.) alteram (a. 394.) prope Albam, quos Polybius sequitur pugnam ad Anienem parvi momenti omittens, alii (Liv. Dionys. etc.) priorem in Albanis montibus alteram ad Anienem commissam tradebant. Armorum mutatio [1], vini Albani mentio et alia apud Dionysium probant latius annales hanc rem exposuisse. Livii brevitas inde explicanda est, quod more suo in fine libri festinat. Ita ibidem ingentia plebis cum patribus certamina, quibus tandem Liciniae leges perlatae sunt (cf. Ampel. c. 25. Ovid. Fast. 1. 643.) breviter attigit. — In Cap. ult. a

---

Orosius (et Paul. Diac. II. 3.) etsi eodem a. 388. non 394. affert. Hic enim a l. III. c. 4. usque ad bellum Pun. II. (IV. 14.) (et qui ex eo hausit Paulus Diac. II. c. 1. sq.) semper V. annos minus computare solet, quam secundum vulgarem aeram sunt, (quod e XVII. locis apparet). Errorem inde ortum puto quod aut V. annos anarchiae omisit, aut, si in fastis eius magistratus secundum olympiadas s. lustra s. tetraeteridas Iulianas dispositi et distincti erant (quod fieri solebat; v. interprett. ad Auson. ep. de fastis suis III. Cuspinian. ad a. u. 218. Scaliger de Em. Temp. p. 404. Petav. D. T. tom. II. p. 93. l. X. cap. 20.) tale spatium quadrienne transsiluit. Scaliger hanc computationem inde ortam putabat, quod regum imperio quatuor annos detraxerit Orosius, (Thesaur. T. p. 99.) sed obstat l. I. c. 5. 12. 13. 19. III. 1. etc.

1) Cf. et Polyaen. VIII. 7. 2. huc etiam referendum illud lepidum de barbis radendis ap. Laurent. Lyd. de Mens. p. 70.

Fabio non dissentit, ut Niebuhr putat II. 416. Non dicit aediles plebis antea privato sumtu ludos fecisse, imo coss. hos publice faciebant ipso Livio teste V. 31. sed curam ludorum multiplicatorum in posterum detrectasse.

§. 32.

Liber VII. Per *omnium* annalium monumenta c. 21. ubi ii tantum quos Livius habebat annales intelligi possunt. *Plures* eum comparasse probat 18, 2. et fin. 22, 3. minime III. annales inspexit. c. 27. 42. init. non tamen omnes varietates commemorat e. c. c. 16. cf. Dionys. excerpt. p. 41. qui etiam libera legatorum responsa (apud Liv. VIII. 21. et Valer. M. VI. 2. 1.) huc refert. Cap. II. de ludis scenicis narratio videtur ex annalibus desumta esse. Iam Fabius de ludis Circensibus exposuerat; (Dionys. VII. 71.) Livius quoque haec latius exposuit ob rationem ethicam, quam ipse affert. Falsum est, eum a Valerio Antiate (cf. XXXVI. 36. 4.) dissentire. Non enim primos ludos scenicos tunc factos tradidit Antias, sed tum primum Megalensibus adiectos. (cf. Ducker ad XXXIV. 54. 3.) C. III. de clavo figendo plures annales inspexit, "*ferunt*"; quaedam e *Cincio* affert, quem et hic et in praecedente sectione, quibus de antiquitatibus latius quam solet exposuit, praecipue sequutus esse videtur. C. VII. de Curtio vulgarem narrationem (alii longe aliter) ex annalibus cum fide reddit "*ferunt*, *dicitur*" Dionys. excerpt. p. 40. eadem habet, quaedam etiam iisdem verbis. C. IX. *Macer* reiicitur, qui dictatorem comitiorum causa creatum dixerat, unde apparet etiam in seqq. ex eo haurire non potuisse Livium, nec Claudium sequutus est, ut arbitrantur interpretes, fragm. ap. Gellium conferentes. Hic alio loco rem exposuerat (cf. Liv. VI. c. ult.) et Livii descriptio multo simplicior, sine dubio ex antiquioribus hausta est. Nec interpretis mentio fit (ut VII. 26.) nec dux Gallorum vocatur, quod splendoris causa tra-

dunt (cf. Valer. Max. III. 2. 6. Suid. v. *Τορκουάτος* etc.) nec Manlius tribunus militum est ut apud Zonar. et al. nec apud Livium (ut recentiores narrabant cf. Appian. Gall. exc. 1. Oros. III. 6.) Quintii dictatoris victoria adiungitur. C. XXV. ex recentioribus, qui tempora non distinguebant, hunc recensum hausisse videtur, cum tales legiones, quales describit, non ante a. 520. institutae sint. cf. Nast. *Röm. Kriegsalterth.* p. 30. sqq. Ruald. ad Plutarchi Romulum et al. Idem observandum de numero VIII. 8. (ubi tamen Eutropius multo maiorem etiam numerum habet) quamquam de X. legionibus non dissentit a Polybio, quo teste numquam res VIII. legionibus coniunctis gesta est ante pugnam Cannensem; Livius enim eas tripartitas dicit, errante Eutropio. C. XXIX. seqq. praecipue in Valerii rebus gestis exponendis recentiores et fortasse Valerium Antiatem sequitur, omnia non solum tam prolixe narrata, sed supra numerum aucta, quaedam ridicule descripta, (c. 33.) impensae Corvi laudes (c. 33. et saepius) multae orationes, caesorum numeri in immensum aucti[1]), ut apud Valerium. — C. XXVI. Valerii Corvi pugna eodem anno u. c. et similiter ex annalibus a Gellio IX. 11. affertur, apud quem tamen forma et species narrationis multo antiquior est. — In fine libri c. XXXIX. seqq. ubi rursus festinabat, nec diversas narrationes conciliare poterat, unam elegit, de ceteris in fine breviter monet. In Liviana plura non consentanea sunt [2]) (cf. Niebuhr II. 442. Wachsmuth

1) VII. 36. multi effugiunt, iique soli, quos intra vallum egerat pavor, XXX. millia sunt. c. 37. XL. millia scutorum et signa CLXX. capta etc.

2) Id tamen nescio an recte Niebuhr (II. p. 452.) et Wachsmuth (p. 441.) putent, errorem esse, quod legem ne foenerare liceret perlatam dicit, et potius aeris alieni remissionem esse intelligendam. Nam ap. Appianum quoque Civil. I. 54. antiqua lex, sed, ut rectissime addit, parum observata, vetat *δανείζειν ἐπὶ τόκοις ἢ ζημίαν — προσοφλεῖν* et Tacit. VI. 16. de his temporibus dicit: "postremo vetita versura" (cf. etiam

p. 439.) E Valerio Antiate desumtam esse probabile est. Gentilis eius Valerius Corvinus, cui ceterae narrationes nihil tribuebant, secundum hanc dictator totam rem componit, orationem habet, rempublicam servat.

§. 33.

Liber VIII. Plures hic quoque inspexit Livius. C. 6. "exanimatum quoniam auctores non omnes sunt", ubi narrationem minus miraculosam praefert c. 11. e. ubi ipse narrationem sine dubio veriorem sequitur, in fine addit ap. quosdam aliter narrari, duplex narratio notatur et c. 20. 18. 23. 26. (ubi eos sequitur, quibus dignius credi sit,) c. 30. 37. 39. 40. ubi narrationem a Livio ob densas tenebras caligante reiectam confirmant tamen fasti Capitolini et triumphales. C. VII. de Manlii filio e pluribus narrationibus unam elegit, de dissensu silet, alii eum non in explorando provocatum esse, sed stationem reliquisse, idque bello Gallico factum esse tradiderant. Dionys. VIII. 79. Cato apud Sallust. Catil. c. 52. Aelian. Hist. An. XII. 33. (minores Parallelae (Plutarchi) Samnitico bello.) Plurimi securi eum percussum tradebant, quidam, ut videtur, *fustuario*, quod stationis desertae poena erat, (Liv. V. 6. Polyb. Cic. Phil. III. 6.) et hanc antiquiorem narrationem fuisse puto, cum seriores scriptores filii culpam minuendo misericordiam et patris admirationem augerent, et nescio an Livius ipse eam respiciat XXIV. 37. "nece liberorum etiam suorum parentes eam legem (praesidio ne decederent) sanxisse." Sed haec narratio, quam Livius in priore

interprett. ad Sallust. Catil. c. 33.) et Cato R. R. I. init. a maioribus foeneratorem quadrupli condemnari, quod tamen fortasse de pecunia gravioribus iusto usuris foenerata intelligendum, hoc enim dicit Ascon. in Caecil. c. 7. Cato etiam foeneratores Sicilia expulit. (Liv. 32, 27.) cf. *Ostertag über die Berechnung der Zinsen* in *kleine Schriften* p. 257. et Nast. commentatio in *rem foenebrem Romanorum* p. XIV. sq. in qua etiam veram de unciario foenore sententiam Strothium secutus ante Niebuhrium exposuit p. XX.

horum X. librorum editione [1]) sequutus esse videtur, (v. Servius ad Aen. VI. 824. qui propterea apud Virgilium *saevum securi* non de vera securi, sed de iure occidendi per fustuarium intelligit) splendidae, quae nunc legitur, narrationi (c. 7.) cessit. De c. VIII. v. ad l. VII. c. 25. C. XIX. *Claudium* citat, ubi post rem expositam aliquid ex eo solo addit. — Fabii victoriam et Papirii iras satis prolixe exposuerat gentilis illius *Fabius Pictor*, quem etiam c. XXX. citat, alii de pugna ipsa aliter narrabant, ut apparet e Valerio Max. III. 2. 9. plures tamen Livium contulisse antiquissimos scriptores et recentiores annales ex eodem loco apparet, et c. 33. "duo proelia" seriores annales (cf. c. 30.) sequitur. Cap. III. et XXIV. Livium praecipue *Fabium* sequi putat Dodwellus de cyclis §. 37. p. 590. seqq. 603. eumque rationes aerae Fabii imperitissime cum aliorum computationibus miscuisse arbitratur, assentiente Micalio vol. III. p. 246. Cum Alexander Ol. 109. 3. rex factus sit, potuit quidem illo quo Livius dicit anno in Italia esse, sed obstat temporis quod tunc in Italia fuisset longitudo, et quod Epirota post Alexandri Magni expeditionem in Italiam movisse dicitur. (libri Chronici ap. Gell. 17. 21.) Fabii aeram etiam hic a vulgari V. vel VI. annis dissedisse, non quatuor annis de regum imperio omissis, ut quidam volunt, aut singulis quibusdam annis abiectis (ut Dodwell. Petav. etc. vo-

---

1) De hac coniectura plura alio loco dicemus. Ita etiam Dionysius duo priores libros prius seorsim edidit, iterum alio prooemio praefixo una cum ceteris (v. Stephanus operae cap. IV.) et a Livio historias pluribus partibus divisas non una omnes editas esse apparet e Plinio (H. N. praefat.) et librorum prooemiis. Priorem primae decadis editionem, quae postea, ut par erat, alteri cessit, Servius tamen habuit. Quae e prioribus X. libris citat, fere semper a nostris diversa sunt. cf. ad Aen. I. 242. et 259. VI. 8. et 814. IX. 745. — Nonius s. v. balteus p. 194. (Mercer.) e libro IX. Livii affert: "auratae vaginae aurata baltea illis erant," quod pertinet ad auratorum armorum Samnitium descriptionem c. 40. nunc autem non legitur etc.

lunt) cum Varroniana convenisse supr. p. 28. adnotatum est. Nec e Fabio solo hoc hausit, cum de eo constare dicat VIII. 3. Sed error aut inde quod de altero Alexandro aliquid notatum eo anno erat (Liv.), aut quod Archidamus eo Tarentinis auxilium tulit (Diodor.) aut e falsa Olympiadum computatione in annalibus ortus est. C. XXVII. *Claudii* fragmenta ap. Gellium VII. 11. et II. 19. huc referenda cum Livio consentiunt.

§. 54.

Liber IX. Plures collatos saepius apparet c. 15. 23. 28. 36. ubi tres diversae sententiae sunt, 37. 42. 44. §. 17. et 25. Refellitur *Claudius* c. 5. quem in illa narratione non sequutus esse videtur. — De Herennio c. 3. et 4. antiquior forma narrationis est. (cf. Appian. Samnitica c. 3.) C. 39. *Licinius Macer* citatur, et c. 44. *Piso*; c. 46. e *Licinio Macro* aliquid affert, sed ipse (ut e fragm. Pisonis ap. Gell. VI. 9. apparet) Pisonem sequitur antiquiorem, licet iudicium suum non interponat. Macer, ni fallor, hunc Flavium cum alio (c. 22. ap. Liv. et c. 37.) perperam confuderat. In libertino enim nova res erat, et forensi factione perfecta. (c. 46.) Dissentiunt etiam ab eo annales e quibus Plinius 33, 1. accurate rem affert. Etiam §. 8. "haud memorabilem rem etc. e *Pisone* desumsit. C. XV. eos scriptores praetulit, quorum narratio Papirio honorificentior erat, e quibus etiam eius laudes c. XVI. hausisse videtur. C. XXIII. Quidam apud Livium et Diodorus XIX. 73. antiquiores sequutus, de magna Romanorum clade loquuntur. Livius recentiorum annalium narrationem elegit, quae Romanis magis favebat. Ita etiam c. XXXI. ubi exercitus Romanus in insidias deductus est, maior fides Zonarae (VIII. 1.) auctoribus debetur, apud quem Romani circumventi magno numero caeduntur, quam Livio, secundum quem poena miro quodam modo in insidiatores versa egregiam victoriam reportant. C. XXIX. narrationem de

Potitiorum poena et sacris Herculis, quam non consentaneam esse monstravit Dirksen *Civ. Abhandl.* II. p. 10. sqq. ex antiquis scriptoribus accurate, ut ipse innuit, repetiit, antiquitus religionis causa inventam fabulam. C. XXVIII. A Diodoro XIX. 76. dissentit qui multo verisimilius tradit non ob coniurationis suspicionem Maenium dictatorem quaestionibus exercendis creatum Capuam ivisse, sed cum exercitu contra rebellantes, hos resipuisse, seditiosos dedidisse, qui post quaestionem habitam mortem sibi consciverint. Capitolini quoque fasti dictatorem hunc rei gerendae causa iterum habent, sed antea a. 434. quaestionum exercendarum. Livii annales priorem dictaturam omittebant, hic duas res, ad Capuam bellum, Romae quaestiones habitas coniungunt. Aliter alii, quos c. XXXIV. sui immemor sequitur. C. XLI. descriptionem tantum non ineptam, in qua ipse exclamat "mirabile dictu!" e quodam mirabilium sectatore, qualem Antiatem novimus, hausisse videtur. C. XLIII. alios fontes sequitur, quam VII. 38. Qui enim foedus cum Carthaginiensibus tertio renovatum hic dicebant, id a. 412. iterum renovatum computabant [a]), quo anno Livius nihil, nisi legatos auream coronam attulisse. Hinc eorum infirmatur opinio, qui pro secundo, quod Livius omiserit, id habent, quod Polybius Bruto et Horatio Coss. factum narrat, idque inter annum 405. et 447. ponunt, ut acutus Bellefortii impugnator Hookius. Quod Polybius duo illa foedera omisit ideo fecit, quod nulla nova conditio accessit. Cato ea computat.

---

a) Ne quis primum foedus post reges exactos ictum hic computari et Livium l. II. et VII. 27. alios fontes, quam IX. 43. adiisse putet, foedus illud a Polybio protractum annalibus, ut et ipse innuit, ignotum erat. Diodorus quoque Fabii sectator primum foedus a. 408. ponit XVI. 69. ut Livius et Orosius III. 7. Cato quoque, ut videtur. (cf. Nonius v. duodevicesimo p. 100. Mercer.)

§. 35.

Liber X. In hoc libro caesorum captorumque numeros saepius recenset, qui hic ab antiquioribus quoque exhibiti esse videntur, in primis temporibus solum a recentioribus, inprimis Valerio, quem propterea saepius reprehendit. Plures hic quoque saepius contulit, ut c. 2. 3. 5. c. 17. ubi e IV. narrationibus unam elegit ceteras in fine breviter recenset; c. 18. e tribus annalibus, c. 25; 26. e tribus opinionibus eam quae media erat elegit; et §. 11. eam quae minus mirabilis erat; c. 30. plures se sequi dicit. C. V. in magnifica victoriae descriptione Valerium Antiatem sequi videtur. M. Valerius dictator dicitur, eique Fabius magister equitum additur: posterius ne Livius quidem credit, et revera alii sine ullo memorabili proelio pacatam Etruriam narrabant. C. IX. §. 10. *Macrum* et *Tuberonem* citat, sed potius vetustiorem *Pisonem* sequitur; c. XI. tamen rursus illos, ut apparet e c. IX. *Pisonem* etiam XIII. 8. sequi videtur. Ultimus Fabii consulatus nimis remotus est, quam ut legi de X. annis locus sit, nisi cum Pisone IX. 44. et veteri quadam aera duo annos exemtos putamus [1]). — Livium incredibilia narrare iudicat Münterus (*Velia in Lucanien* p. 57.) de deditione Lucanorum, et quod non debellati fuerint. Capuli Corneliani auctoritatem ei opponit, in quo Scipioni subactae Lucaniae gloria adscribitur [2]). Sed

1) Alibi tamen Piso annos hic detractos addidisse videtur, fortasse dictatoribus quibusdam interpositis. Certe a. 596. unum annum plus quam Cato computat. (v. fragm. ap. Censorin. c. 17. Scaliger E. T. p. 391. cf. 387.) Et iam de anno 567. idem observandum. (Plin. H. N. 34. 3.)

2) "Taurásiá Cisaúna Sámnió cépit, Subicit ómne Lóucana óbsidésque abdoúcit," quae ad res in Samnio gestas spectant. *Samnio* est in Samnio, nec velim *que* (Samniumque) addi, quoniam in versu Saturnio saepius thesis omissa praecedentis et sequentis arseos vi compensatur. De Taurasia Cisalpina (Taurino), ut quidam emendant, Romani tum ne cogitare quidem poterant. Cisauna pro Cisaufna (cis Aufidum, Aufentem) omisso digamma positum videtur; et revera Livius X.

nescio an hic quoque Livio profuerit, quod familiarum monumenta et titulos mendacis arrogantiae plenos non contulit. Fasti enim sicut Livius X. 12. non Scipioni sed collegae eius Fulvio res in Samnio gestas triumphumque adscribunt, et Scipionis provincia Etruria erat (Liv.). Quamquam dubium est utrum in consulatum eius reponantur hae res gestae, an ita amplificata sint ea, quae sub Cos. Papirio a. 459. gessit in Samnio. An fortasse consul in fine anni eo profectus mansit et has urbes expugnavit? — Lucanos autem, qui per Bruttios multum virium amiserant (Diodor. XVI. 16. cf. Antonini Lucania discorso IV. p. 40. sqq.) tum a. 464. bello Samnitium urgente (Dionys. excerpt. leg. c. 3. qui cum Livio consentit) societatem armorum a Romanis petiisse et obsidibus datis foedus confirmasse, quod iam antea (VIII. 25. cf. 27. nam VIII. 19. falsa lectio est v. Crevier et Heusing.) icerant (cf. Quadrigar. ap. Gell. II. 19. et VII. 11. cum Livii ll. cc.) a veritate non abhorret. Non autem de deditione sed de societate ac foedere Livius loquitur. (X. 12.) Scipione consule hoc factum est, itaque in maius auxerunt in illo elogio sepulcrali, contra ea, quae consul et postea propraetor a. 458. in Etruria adversa aut ancipiti fortuna gessit, silentio obruta sunt. Inscriptio autem etsi Saturniis versibus facta est, tamen tum ob externam speciem capuli (v. ap. Piranesi monumenti degli Scipioni tab. 3.) in quo Dorica ornamenta cum Ionicis commixta sunt, tum ob scribendi rationem, ob g ter repetitum, quod Plutarcho et grammaticis testantibus a Carvilio [1]) demum

12. Aufidenam eo anno quo Scipio consul erat vi captam tradit, sed ut cetera hoc quoque collegae eius Fulvio adscribit. Taurasia si est urbs nota (Cluver Ital. ant. I. cap. 10. et III. p. 1200. cui adde Steph. Byz. v. Ταυρασία) in diversa Samnii parte sita, inscriptio iactat eum Taurasiam et Cisaunam h. e. totum fere Samnium cepisse. Sed an tum Romana arma Taurasiam usque descenderint magnopere dubito.

1) De tempore quo vixit dubitari non potest v. Plutarch. Qu. R. c. 59.

inventum in columna Duiliana nusquam comparet, deinde *Cornelius cepit, obsides*, nunc quidem valde dubito utrum pro antiquissima haberi et ad Barbati tempora referri debeat, an seriora, ad quae sequentes inscriptiones eodem modo scriptae pertinent. — Veterum et simpliciorum annalium narrationem Livium sequi rursus apparet collato c. XII. cum Dionys. excerpt. ap. Reisk. p. 2230. *Fabius* et *Claudius* citantur c. XXXVII. ubi tamen neutrum in narratione sequitur, sed auctores latius rem narrantes. cf. c. 32 — 38. Claudius longe aliter: cum Fabio magis consentit Livius. Tamen hic non dixerat, uter cos. in Etruriam profectus esset, Livius narrat Postumium fuisse, quot hostium ceciderit, pacis conditiones, coss. triumphum. Utrumque exercitum in Samnium profectum esse cum Fabio consentit, hic autem utrumque ad Luceriam rem gessisse dixerat, apud Livium Atilius solus ad Luceriam est. Quem potissimum hic secutus sit non liquet. C. XLI. Papirii res gestas hic quoque ex iis hausit, qui eas valde exornaverant, miraculis etiam c. 40. *Plures* tamen hic quoque comparavit, ut e cap. 41. apparet. C. 42. immanem caesorum numerum affert: cf. Crevier. Orosius nonnisi de duodecim millibus tradit. C. XLVI. tacite refutat narrationem recentiorum, ut videtur, annalium, quam apud *neminem veterum* se invenire dicit.

Cap. II.

DE RATIONE QUA FONTIBUS USUS SIT LIVIUS.

§. 36.

Ut autem in rebus, quae ad auctores suos probabili coniectura referri potuerunt, et quarum fontes ignorantur, iudicari possit, quae Livii fides fuerit, quomodo scriptores contulerit, intellexerit, reddiderit, quae in expositione ipsi quae fontibus eius debeantur, et quaenam ubi alia testimonia deficiunt

eius narrationi auctoritas sit, accurate quaerendum est, quomodo auctores suos et in *argumento* et in *forma* operis sequutus sit.

Sectionis Primae
Pars I.

Quod ad res ipsas et historiae argumentum attinet, primo videndum est, quid praecipue et quantum ex annalibus hauserit, quo consilio alia omiserit, aut breviter aut latius exposuerit. Electa esse ab eo quae lectoribus Romanis cognitione dignissima, iucunda et exemplo utilia esse viderentur, supra observavimus. Hinc factum est, ut saepe ea quae scire nostra maxime interest omiserit, nec inde de antiquiorum scriptorum silentio concludi debet. In Romanis tantum rebus se continens omnia ad alias Italiae gentes potius spectantia, quorum nexum cum Romanis rebus nec recte perspiciebant nec agnoscebant, aut omisit [1]) aut brevissime et veniam praefatus (ut de Alexandro Epirota l. VIII.) retulit. Brevissime et solum ad Romanae urbis originem deducendam de Aeneae et Albanorum regum rebus exponit, nisi quod in Antenoris I. 1. et Patavinorum rebus gestis X. 2. patriae amori aliquid dedit. — In antiquissima historia, quam Dionysius aequabilitatis studio prolixe exposuit, brevis est, et ob id ipsum a plerisque reprehensus. E mythis et fabulis, quas ipse agnoscit, et quomodo animadversa et existimata sint non magni se facere dicit, dummodo ad historiae exempla praecipue attendant lectores, ea, quae vulgari fama ferebantur consensu civitatis et veluti publico testimonio (ut Quinctilianus dicit) probata, succincte exponit, multis omissis, quae apud Fabium, Cincium, ceterosque omnes erant, et apud Valerium Antiatem plures libros imple-

1) Similia in Polybio reddendo plerumque omisit.

bant, praecipue indecoris et foedioribus. Ea autem quae constanti annalium testimonio afferebantur, et quae poetice exculta vulgo celebrabantur, omittere noluit, ut narrationem de bove Sabina, de Scaevolae manu incensa, licet illam Dionysius, hanc praeter Dionysium et Cicero pro Sext. c. 21. ut miraculosam omittat. Ceterum mythicam speciem servans multa etiam historica praetermisit, quae ad antiqua tempora relata erant, bella et instituta civilia [1]). In hac autem historiae parte ut nec ea, quae inter se discrepabant, expedire studet, ita omnino temporis rationes et numeros ponere evitavit, etsi iam Fabius talia computaverat; (Plutarch. Rom. c. 14. Dionys. II. 31.) Valerius Antias (Plutarch. ibid.) Gellius et Licinius Macer (Dionys. II. 31. IV. 6.) Hemina. (Solin. c. II. cf. et Plin. XVIII. 29.) Livius ne tempus quidem urbis conditae secundum Olympiada designat; nec in ceteris annos numerat nisi in regibus annos imperii [2]).

§. 37.

In liberae civitatis historia ea quae Romani gesserint, foris bella, domi seditiones se exponere dicit; (VI. 1.) in rei publicae tamen formis et institutis, singulorum ordinum dignitate et statu, eiusque mutationibus narrandis brevior est,

---

1) Ita bellum XX. annorum Etruscum (Dionys. III. 60. seqq.) fabulosum cum Camerio (id. et Plutarch. Rom. c. 24.) Sabinum (cf. Wachsmuth p. 172.) nec non Romuli instituta, leges etc. de quibus annales loquebantur (Dionys. II. 13.) omisit; et eodem modo in seqq. historia.

2) In his numeris vulgarem narrationem secutus esse videtur, certe cum Dionysio consentit, dum Euseb. Eutrop. Cassiodor. Diacon. et alii (cf. Petav. D. T. X. 22.) pluribus numeris dissentiunt, quin singulari quodam modo dissentit antiquus Fenestella, cum Tarquinii Pr. obitum in a. u. 183. reponit (ap. Plin. H. N. XV. 1.) et scriptores apud Augustin. C. D. III. 9. Numae pro 44. annis 39. tribuunt.

tum quia pleraque et quae tunc etiam vigebant et quae antea notabilia fuerant lectoribus nota erant, tum quod harum rerum nexum et quid in historia explicanda conferrent parum intelligebant. Ita nec de feriis Latinis (de quibus annales loquebantur cf. Tubero ap. Gell. XIV. 8.) accurate exponit, et quando numerus dierum auctus sit (cf. Drakenborch. de praefect. urb. c. 3.) nec de comitiis tributis. In decemvirum historia brevitatem iam Glareanus ei obiecit. Multa, de quibus scriptores locuti erant, plane omisit, ita Fabius de circensibus (Dionys. VII. 70.), de Sibylla apud Tarquinium antiqui auctores, Piso etiam (v. Varro apud Lactant. I. 6. et antiqui annales apud Gellium I. 19.) de tribubus Cato, Venonius, Fabius (Dionys. IV. 15.) exposuerant. Foederum quoque conditiones negligenter exponit; (cf. VII. 20. cum Dionis fragm. 142. et alia ap. Wachsmuth. p. 452.) et cum annales tantum reddat explicationes altius repetitas de gentibus, geographia, antiquitatibus, quales apud Polybium [1]) et Dionysium multae sunt, plane omisit. Quamquam multas res ad religiones, ad rem militarem, ad externam urbis speciem pertinentes inseruit. Tales locos collegit Meierotto: de Livii arte narrandi 1798. p. 3. sqq. Omnia tamen nonnisi quatenus ad historiam spectant attingit, non ut iam facta et descripta sed ut quasi ante oculos fieri videantur; nec umquam in historia locum quaerit talia exponendi, numquam diversorum temporum instituta comparat, ad genera revocat, et de iis philosophatur. Nec ea, quae ad disciplinam publicam privatamque et mores pertinent, ubique accurate tradit. Plerumque singula quaedam describit et quae singulos spectant, quorum virtutes ac vitia, motus animi etc. exponit universam temporum indolem, mores et disciplinam, rei

1) Talia postea quoque ubi apud Polyb. inveniebat, omisit.

publicae inferiorem statum non descripsit, ut in narratione de decemviris et legibus XII. tabularum etc.

§. 38.

Prodigia saepius commemorat, tum ob reverentiam antiquis annalibus debitam (ut XLIII. 13. dicit) et patriarum religionum amorem, quarum non minima pars in his cernebatur, tum quia vim quam in veterum animos, in rei publicae administrationem [1]) et totum civitatis gerendae modum exseruerant probe perspiciebat: cf. Camilli oratio V. 51. 7. sq. XXVI. 19. VI. 14. VII. 21. Itaque ea tantum, quae publice accepta procurataque et per pontificum libros inde annalibus prodita erant, et iisdem fere verbis, ut accepit, referre solet; numquam vim, sensum et eventum eorum interpretatur. Sed fere ubique modum quo expiata sunt addit, et saepius observatione adiecta superstitionem et mores antiqui aevi illustrat: XXVII. 23. et 37. XXVIII. 11. XXI. 62. XXIV. 10. IV. 30. Cetera miracula fere praetermittit [2]). Veteres autem formulas ex annalibus referre amat. — Livium historiam non pro mera φιλοσοφίᾳ ἐκ παραδειγμάτων habuisse, nec annales ut exemplorum quamdam collectionem scripsisse §. 5. observatum est. Tamen *ethica* quaedam ratio in eius narratione praevalet, ob quam alia latius exposuit alia omisit. Veterum mores, quos valde mira-

1) Ita XXXIX. 5. „rem dictu parvam praeterirem, ni ad religionem visa esset pertinere." Atinii somnium II. 36. cf. Böttigeri prolusio de Hannibalis somnio apud Liv. XXI. 22. Vimariae 1792. p. 6.

2) Statuam bis locutam, quod Dionysius (VIII. 56.) e pontificum libris narrat. — Livius X. 23. eo anno multa prodigia fuisse dicit, nullum affert. Omittit prodigia e. c. quae commemorantur apud Dionys. I. p. 141. et in Orig. gent. Rom. e Fabio, Cincio; apud Dionys. p. 143. e Fabio, Catone; a Dionysio p. 142. 145. 151. V. c. 46. excerpt. Maii p. 32. 51. 54. Plutarcho Rom. XX. Camill. XXXII., quae annales habebant de Dioscuris in pugna Regillensi etc.

tur (XXVI. 22. fin. ubi antiquam civitatem exemplari civitatis Platonico aequiparat) sui temporis hominibus ante oculos ponit, (cf. praef.) illorum probitatem et simplicitatem (III. 67. 8. c. XXVI. 7.) fortitudinem (II. 6. 8.) religionem (X. 40. 10. III. 20. XXVIII. 11.) gratum animum (II. 33.) modestiam (IV. 6. 12.) generosum lucri contemtum XXIV. 18. fortem animum odium irasque supprimentem XXII. 61. virtutem ab obtrectatione et invidia remotam (II. 40. 11.) pudorem et obedientiam erga magistratus (III. 29. 3. V. 46. X. 9.) et reverentiam II. 42. et 61. libertatem contra superbiam (IX. 46.) laudat. Quamquam minus acerbus vitiorum exagitator est quam Sallustius, sed exemplis propositis tacita exprobratione virtutem amabilem reddere studet, tamen nonnumquam loquitur cum tristi respectu suorum temporum, et divitias luxuriamque (VII. 25. 9. XXXIX. 6.) negligentiam deorum et iurisiurandi (III. 20. 5.) et audaciam in tollendis religionibus (XLIII. 15.) insaniam ludorum (VII. 2. fin. et XL. 2. XLIV. 9.) omnia spoliandi licentiam XXV. 40 parentum levem apud liberos auctoritatem XXVI. 22. notat. "Nondum erant tam fortes ad sanguinem civilem" [1]) Et indignatur, quod nova peregrinaque priscis ac patriis praetulerint X. 9. VIII. 11. Cf. ethicas observationes VII. 20. 5. IV. 31. 27. 9. II. 46. 47. III. 65. XXIV. 25. etc. quas rarius tamen sententia generali complectitur. Talia libenter narrat ut XXIX. 14. ipse dicit (cf. VII. 2.) talia conquirit, latius exponit, laetiore verborum cultu adornat (VIII. 5. et 21. XXVI. 22. 36.) praecipue l. V. in clade urbis, et IV. 7. De rebus pravi exempli dicit: *non credere libet* et addit licere in

1) Cf. Meierotto de candore Livii p. 4. sqq. Etiam II. 49. ubi "egregius quibuslibet temporibus senatus" nollem post alios a Kreyssigio annott. in auct. class. specim. I. 1810. correctum. Respicere videtur Livius ad sui temporis senatum. Ita I. 25. ubi Horatiorum cum Curiatiis certamen minime gratum spectaculum fuisse observat, ad sui temporis gladiatoria certamina respexisse videtur acuto Crevierio.

variis opinionibus IV. 29. (ubi tamen vulgarem hanc narrationem fuisse apparet e Diodor. XII. 64. Gell. XVII. 21. cf. I. 13. Valer. Max. II. 7. 6.) aut se pervelle dicit hoc falso proditum: VIII. 18. XXI. 46. "malim equidem de filio verum esse etc. XXVII. 18." libens reticuissem, ni — Nec negari potest, eum saepius talia omisisse, ut crebras seditiones, rixas in foro ortas, e. c. ap. Dionys. X. 33. seqq.; c. 41. Romilii flagitium; c. 44. (ubi Livius paucissimis annum absolvit), servorum turbas, (Dionys. V. 53.) pactum de aere alieno remittendo in monte sacro, et similia: et ubi diversae narrationes erant eum in eligenda una hanc rationem ad mores spectantem saepius sequutum esse; denique alia longius alia quam brevissime exposuisse, ut res a Coriolano contra patriam gestas etc.

De rebus eo non spectantibus minus curat. De cos. cognomine parvi referre dicit quid veri sit VIII. 18. et ea in coss. et tribb. mil. fere omisit (cf. Drakenborch. ad II. 17. 1. III. 2. 2. Glarean. ad III. 22. 1.) Et magistratus iterati nota in coss. ante decemvirum tempora ter posita decies octies certe omissa est (Drakenb. ad II. 16. 7.) nec non tribunorum mil. nomina (Pigh. annal. T. I. p. 190. Sigon. ad IV. 42. 2. Drakenb. ad IV. 44. 13. 47, 7.) et magistri equitum II. 30. VII. 6. nonnumquam et consulum.

§. 39.

Ceterum pleraque *breviter* et per epitomen ex annalibus refert, et, quod Dionysius sedulo evitavit, annos rebus gestis plane vacuos exhibet (quod in annalibus raro factum videtur cf. IV. 20.) II. 53. III. 31. IV. 12. c. 47. VII. 2. Ita II. 19. ubi Livius nihil dignum memoria actum dicit, Dionysius V. 53. expeditiones contra Fidenas, consultationes cum Latinis et turbas urbanas narrat. In aliis annis nihil, nisi breves rerum gestarum titulos exhibet, ubi recentiores, quos Dionysius sequitur, prolixe narrabant, cf. e. c. Livius II. 19. c. 40. cum Dionys. VIII. 64 — 68. Denique sibi parum constat in rebus aut nar-

randis aut omittendis. Collibus adiectis urbem a regibus amplificatam est ubi commemoret, et ubi omittat etc.

Nonnumquam quaedam a scriptoribus omissa desiderat, et ipse aliquid coniicit, aut ignorare se profitetur (III. 70. XXIX. 14 etc.). Raro tamen suas ratiocinationes aut observationes addit [1]) (II. 30. 34. IV. 9. III. 65.) quas fere orationibus aut prooemiis reservat. Politicae maximam partem communes et obviae sunt XXV. 22. etc. partim defectu ingenii interiores rerum publicarum causas et penetralia parum perspicientis, partim quia ipse in his sibi temperasse videtur, ne plus centum libris scriptis aut longus fieret, aut eadem saepius repeteret. Raro suspiciones et opiniones suas profert, et quidem apposito: credo, coniicio etc. II. 53. 5. III. 60. 2. IV. 13. 2. III. 7. 15. IV. 8 et 17. I. 49. 69. In hominum singulorum indole, corporis ingeniique dotibus et moribus describendis, in quo genere saepius tractando praecipuus ille secundum Sallustium ingeniorum morumque notandorum artifex Velleius ingratas descriptionum et dictionis iterationes non evitavit, brevis est Livius, et e factis nude narratis sibi de his colligere lectori fere relinquit.

Degressiones quoque de suo inserere evitavit, ut ipse IX. 17. dicit. Quatenus in orationibus quoque ex annalibus hauserit videbimus §. 66.

Pars II.

§. 40.

Altera quaestio: de ratione, qua e fontibus suis hauserit, ad tria potissimum spectat, ad *fidem*, ad *diligentiam*, et *iudicium* sive *artem criticam*. Illa praecipue ad voluntatem vera narrandi pertinet, haec ad facultatem et dexteritatem, et si

1) Cf. Hegewisch *über den politischen Character des Livius, in: Neue Samml. kleiner Schr.* Altona 1809. p. 167. 199.

externos fontes Livianae narrationis supra indicavimus, hic quasi ad internos unde vera et errores apud eum fluxerint investigandos accedimus.

I. De fide et veracitate scriptoris, cum tam pauca de eius vita ac moribus tradita sint, praecipue ex opere ipso videndum est, ex quo tamen iam veteres et temporibus eius fere aequales eam agnovere et laudibus celebraverunt. Quod autem libero animi consilio ad scribendum accessit, et veritatem se quaesivisse ipse subinde dicit, et in scriptorum testimoniis conquirendis, ut supra vidimus, multum operae posuit, haec omnia de veritate eius praeiudicium facere possunt. Summa in eo erat rerum et auctorum antiquorum reverentia, et *fides* ac religio, qua eos sequutus est, nec nova mirabiliaque narrandi, nec causas rationesque rerum ex suo ingenio addendi cupiditate, nec praeiudicatis opinionibus partiumque studio corrupta. — Antiquarum narrationum indolem egregie sensit et intemeratam reddidit. Hoc praesertim in mythis enarrandis perspicitur, quos nusquam dissimulat [1]), sed nec refellere nec probare studet: cf. e. c. de Hercule et Caco Livium cum Dionys. I. 49 seqq. Eam narrationem, quae Romulum a senatoribus caesum dicit, attingit quidem sed ipse reiicit. In Hostilii morte famam de Anci insidiis plane non commemorat, quamvis plerique scriptores ita narrarent, teste Dionysio. Cum fide antiquos sequitur, et veritatem sub mythorum involucris latentem non eruit sed illaesam servavit, ubi Dionysius recentiorum exornationes aut ingenium suum sequutus omnia auxit et ipsis verbis recentiora tempora produxit [2]). Etsi mythis speciem fabulosam non de-

1) Cf. praefat. Itaque I. 11. lectio quae codd. auctoritate nititur: "additur fabul*ae* non temere mutanda."

2) Ita e. c. ap. Dionys. V. 37. Scaevola senatum convocari curat. — Liv. I. 32. Tarquinius urbem cingere *parat*, quia non perfectum est opus (cf. Festus v. suburam et Plin. III. 5.) ap. Dionysium muro

traxit mirabilia tamen non conquirit, nec rerum novitate lectorum admirationem captat, id quod Polybius in pluribus illorum scriptorum (III. 48.) Livius praesertim in Valerio Antiate reprehendit. Fabulas nonnumquam verisimilius exposuit, ut de Iunone Veientana, quam ceteri (cf. nunc quoque Dionys. Mai p. 18. Fr.) loquutam scripserant. Livio illam immutationem adscribit Plutarchus Camill. c. 6. Ita VIII. 6. annales prope omnes exanimatum Annium tradiderant. Fidus annalium sectator etiam ibi apparet, ubi diligentia et iudicio defecisse videtur, cum e. c. res in annalibus repetitas ipse quoque repetit, ut III. 8. Volscum nomen prope deletum esse, et mox (c. 10.) Volscos se cum Aequis coniunxisse ex annalibus transscripsit (cf. VI. 12.) ut XXXVIII. 11. 8. Polybii errorem memoriae repetiit etc. Ita multa quae ut Livii errata accusantur ex annalibus desumsit, e. c. V. 12. (v. Perizonius anim. hist. p. 358. seqq. Niebuhr II. 245.) iam alii scriptores rem et caussas attulerant, nec non IV. 6. cf. c. 7. (qui locus a Bellefortio republ. R. II. p. 411. Niebuhrio I. 274. notatur) cf. VI. 37. ubi per XLIV. annos neminem e plebe admissum dicit etc. Et in factis ordine collocandis plerumque ab annalium exemplo non discessit. Ita in regum historia ubi ipse annos non numerat, omnia tamen eo ordine exposuit, ut cum temporum rationibus, quae apud Dionysium, in fast. Capitol., ap. Euseb. etc. ex annalium scriptoribus (cf. p. 77.) afferuntur, accurate consentiat, quamquam saepius secundum argumentum res aliter collocari potuissent.

De rebus dubiis et incertis non dissimulat, ut statim I. 16. (quod Dionys. II. 56., ut solet, pro certo narrat) etc. Diversas scriptorum sententias affert, nec veritus est orationis pulchritudinem et narrationis libertatem eo minuere, ut quid

eam circumdedit. Liv. I. 38. Egerius Collatiae praesidio relictus, ap. Dionys. *rex* erat. Liv. II. 19. cohors exsulum Romanorum ap. Dionys. totum cornu ex iis constat etc.

constet; quid dubium sit nonnumquam in minutis quoque rebus [1]) adnotat; cf. Ernesti opusc. phil. p. 91. Levesque histoire critique p. xviii - xx. praef.

§. 41.

Cum autem scriptor commentitias et falsas rerum caussas afferens veritati saepe infestior sit, quam mendax, Livius nude caussis rationibusque fere omissis res narrare solet, veteres scriptores sequutus, qui τὰ ἐπιγινόμενα τοῖς ἔργοις καὶ τὰ παρεπόμενα καὶ μάλιστα τὰ περὶ τὰς αἰτίας omittere solebant (ut Polyb. III. 32. et Asellio ap. Gell. V. 18. dicit). Numquam de talibus disserit ac disputat. Saepius hoc observatum est cf. Ducker. ad III. 31, 1. VII. 16. etc. — Ubi caussas et rationes ingenio assequitur accurate has a reliqua narratione distinguit, veluti II. 8. — "nec traditur certum nec interpretatio est facilis II. 40, 1. VI. 11. III. 70, 15. Et VI. 12. —" cuius tandem ego rei praeter opinionem, quae sua cuique coniectanti esse potest auctor sim? XXIX. 14. —" meas opiniones — non interponam; X. 6. 11. caussam se invenisse negat. Saepius tamen descriptionis causa rerum rationes ex hominum ingenio desumtas subiicit, et quibus quemque rebus motum prohibitumve esse sibi finxit. — Hoc autem, in quo historici pragmatici laudes non meruit, eo magis ad annalium narrationem cum fide servandam contulit. Quam cum accurate sequatur rarius falsas opiniones et res recentiores immiscuit, quamquam antiquarum rerum non peritissimus erat. Non omnes quidem evitavit temporum confusiones et anticipationes (cf. Drakenb. ad I. 44.) ut IV. 54. V. 7. VIII. 18. (cognomen Maximi cf. IX. c. ult.) I. 34, 11. (Tarquinium Priscum) X. 21. ubi coloniam deductam eamque Minturnas appellatam dicit, etsi ipse iam VIII. 11. IX. 25.

---

1) III. 26. seu fossam fodiens seu cum araret, operi certe, id quod constat, agresti intentus; ita IV. 12.

urbem Minturnas habet. Videtur hic nomen quod post coloniam deductam accepit (ut Sinuessa ibid.) anticipare: cf. Plin. III. 5. Vellei. I. 14. Patricios ut iniustos agri publici possessores vituperat, id quod initio non erant. (cf. Niebuhr. II. 198. et 363. et de similibus II. 217. 231.) Maelio equiti e plebe clientes tribuit IV. 13. — Census equester V. 7. — De tribubus anachronismum VI. 21. V. 8. notavit Wachsmuth p. 403. Pleraque tamen [1]) iam scriptoribus, quos accurate sequutus est, tribuenda sunt, ut VII. 10, 5. gladius Hispanicus iam apud Claudium erat. (Gell. IX. 13.) Nec studet rebus narratione verisimiliore maiorem veri speciem comparare [2]), id quod Dionysius consilio se facere dicit (VII. 66.), nec ad finem quemdam et consilium singulare res detorquet [3]) et pervertit, nec oratorium studium lectorum misericordiam indignationemve excitandi, nec philosophandi pruritus, nec narrandi genus fucatum, ad splendidas descriptiones faciendas ad laudandum et vituperandum pronum, tumore nimiisque vocum translationibus et figuris plenum narrationis fidei ac veritati obfuit. Nec iniquum illud magnis hominibus detrahendi et obtrectandi studium, quod in Valerio Antiate et aliis scriptoribus Sallustio quoque nonnumquam apparet, usquam in Livio deprehendas, sed M. Senecae assentias, qui eum natura candidissimum omnium magnorum ingeniorum aestimatorem fuisse dicit

---

1) L. I. 10. non est prolepsis (ut vult Duker ad I. 44. 1.) sed *Capitolium*, ut Palatium, Aventinum pro *colle* dixit, cf. Hemina ap. Non. v. moliri etc. — *Campus Martius* I. 44. secundum alios vere iam aderat, Plut. Publicol. c. 8. — I. 41. ad *Iovis Statoris* de loco intelligendum, ubi postea (cf. X. 37.) aedes exstructa est.

2) cf. e. c. Glarean. ad III. 15. — "decebat haec verosimilius narrare Livium. —"

3) Id quod Dionysii historiae valde obfuit; cf. Creuzer *historische Kunst* p. 232. sqq.

(Suasor. VII.) Nec ulli scriptorum quos hic sequutus est infensus erat, sicut Sallustio obtrectasse tamquam aemulus dicitur (Seneca Controv. 24. et excerpt. Controv. l. IX decl. 1. fin.) Valerium enim Antiatem et alios iure vituperavit. Nec superstitio, quae rectum iudicium maxime impedit, veritati obfuit. Quamquam de deorum providentia loquitur, numquam tamen neglectis illis causis quae humana ratione intelliguntur a diis aliquid repetit, ut e. c. Dionys. excerpt. p. 2365. qui computatis Pyrrhi viribus concludit, nihil nisi deae ob sacrilegium iratae furorem effecisse, ut rex a Romanis vinceretur. Etsi de fato quodam et humanarum rerum vicissitudine loquitur, numquam eius vim demonstrare et ab eo auctore rerum eventus derivare studet, ita ut veras propioresque causas neglexerit. Nec ea quae religionibus sancita erant ideo pro firmis habet, nec cum religione et horrore quodam de iis loquitur, ut plus de iis proferre fas sibi esse neget, sicut Dionysius saepe fecit. Fraudes quoque et res ob superstitionem fictas suspicatur VIII. 6. [1]).

§. 42.

At huic vera narrandi voluntati praeiudicatae opiniones et partium studium obstare potuerunt et efficere ut nonnumquam primum historici officium migraverit. In hac quidem re ipsum historiarum genus ei profuit (loquimur enim de antiquiore historia) quoniam, sicut aequales rerum gestarum accuratius eas narrant, ita seriores nullo metu ac spe gratia simultateque, animum a partium studio praeiudicatisque opinionibus magis liberum servare solent, nec tempora in quae vita eius incidit

---

1) Cf. peculiares Tolandi, Academici Columbarii, Schwabii, Eschenbachii, Bosii, Klotzschii, Wachtheri operas, qui tamen praecipue de eo quod de ominibus, prodigiis, miraculis et portentis senserit, locuti sunt.

veritati obstabant, nisi quod mutata rerum conditio falsis de antiquitate opinionibus locum dare potuit. Plura tamen sunt quae eum seducere potuerunt. —

Studio Romanorum et antiquorum temporum amore Livium de patriae patrumque gloria sollicitum, quorum fortitudinem et simplicitatem vitiorum maculis adspersam nolit, multa velasse et reticuisse post alios permultos etiam Niebuhrius observavit (I. 414. II. 472. 280. Micali III. 88. seqq. 135. etc.) finxisse alia, et si hoc non ausus sit, innuisse (Niebuhr. II. 305. ubi tamen Plutarchus quoque cum Livio consentit). Magnifice quidem de Romanis loquitur (praefat. I. 16. etc.) praecipue in comparatione eorum cum Alexandro [1]); cladem a Gallis acceptam diis et fortunae imputat; Volscos Romanis insidiatos reprehendit IX. 31., idem in Romanis laudat c. 14.; Romanorum ducum crudelitatem (cf. impr. XXXV. 32. et 34.) civitatis ingratum erga magnos viros animum XXXVIII. 59. cf. XLV. 38. non improbat; Rhodios pro libertate loquentes indignatur XLIV. 14. etc. Cum autem patria sua, civitate et moribus se abdicare historicus nullus possit, nec sine illo rerum quas describit amore et admiratione scribere, laudandus est, si neque quidquam confinxit, et ea quoque quae partibus quas probare videtur contraria erant non plane omisit. Et sane ab altera parte erga hostes quoque non iniustus est, et res Romanis ignominiosas non reticet II. 17. 22. 43. III. 20. etc. (cf. Ernesti opusc. phil. p. 89.) inique iniusteque facta perstringit, senatus consilia et agendi rationem vituperat VIII. 2. XXXIV. 39. XXXV. 19. XXI. 16. nec ut Dionysius pulchris verbis excusare et defendere studet [2]) quem

1) Ubi tamen falsa rerum computatio accessit (cf. acutum St. Evremont les divers genies des Rom. cap. IV. Eckardt prolusio de comparatione — a Livio facta Isenaci 1760. et Gilliesium in historia Gr.

2) E. c. in bello cum urbe materna Alba Livius Tulli dolos causatur I. 22. Dionys. omnem culpam in Albanum regem confert. Cf. Liv. de

Romanorum studio multo magis deditum et in eorum laudibus liberaliorem quam Livium fuisse pluribus docuit iam Stephanus Operarum c. IX. Hoc quoque de Livii veritate testatur, quod nec in laudando nec in vituperando prolixus est. Dubitat res gestas amplissimas ad Romanorum gloriam apponere, ubi non omnes annales consentiebant: III. 52. VIII. 30. IX. 15. et 44. X. 30. XXIII. 16. Et quae fere obiiciuntur, iteratae victoriae, quas in maius auctas esse probat bellum mox redintegratum, (quod in annalibus ita exponi ipse miratur VI. 12.) Romanorum iacturae bello aut pestilentia acceptae statim reparatae, Volsci primo impetu fusi II, 25. licet fortissimi sint c. 59. et similia; Romani semper bello non lacessentes sed iniuriarum tantum ultores (XXI. 1. et XXXIX. 51. tamen Romanorum causam iniustam fuisse confitetur) et qualia Crevierius affert, (praef. p. xi - xiv.), haec omnia ex annalibus transscripsit, nec fides eius talibus infirmatur, imo multas Romanorum clades quas ita omittere et obliterare potuisset ut lectorum taedium etiam evitaret fide exposuit, saepius nonnisi casu aliquo Romam servatam confitetur. — Attamen patriae decora maiore studio et animi ardore quam cetera celebrasse et de magnis maiora locutus esse videtur. Pravus rerum praesentium status et suscepti operis amor magna quadam antiquitatis admiratione eum impleverat, ut etiam in comparatione videatur iniustior: VII. 25. "quem nunc (X legionum) novum exercitum — hae vires populi R. — contractae in unum haud facile efficiant; adeo in quae laboravimus sola crevimus, divitias luxu-

iniuriis quibus bellum Gallicum concitavere; Clusinos Romanis societate coniunctos fuisse negat V. 35, 7. quod alii ad hos excusandos dicebant: cf. interpr. ad Flor. I. 13. 6. et de Romanorum agendi ratione post sponsionem Caudinam licet ipse iudicium suspendat, tamen Pontii oratione IX. 11. satis ostendit se eam improbare; cf. XXI. 19. etc.

riamque;" cf. VI, 12. etc. Non tamen tam caecus hic amor erat, ut etiam in improbandis rebus laudatorem temporis acti agat, nec tam pravus ut eas omiserit. Sed eo factum est, ut nonnumquam veras rerum causas non perspexerit sed perperam explicet, saepius secundum hanc rationem aut facile aut parum credat. Praecipue in diversis narrationibus saepius eam, quae Romanis honorificentior esset, elegisse videtur e. c. VIII. 10. IX. 22. Ita in proelio Cannensi, in ceteris Polybium, in Romanorum numero afferendo alios sequitur, qui his magis favent; et V, 46. in illa Camilli ἀριστείᾳ eos sequi mavult, qui moderationem et legum observantiam in eo quam maximam facientes non ante legem latam profectam Ardea dicebant [1]). Idem fortasse fecit II. 42. ubi, cum Dionysius VIII. 85. seqq. de Romanorum clade narret, Livius eam narrationem elegit secundum quam Romani vicerunt. Sed saepius narratio, quam hoc studio motus praetulisse videtur (e. c. Niebuhrio II. 230.) vulgatior erat. — Nonnumquam igitur suppressis quibusdam et dissimulatis gratiae suspicionem incurrit, et e diversis narrationibus unam cum hoc respectu elegit; corrupisse eum et pervertisse historiam e nullo, quantum observavi, loco probari potest. Falsam tamen opinionem de antiquarum nationum Italicarum viribus et conditione et effectu earum in res Romanas Livius cum aequalibus communem habuisse videtur, unde fortasse quaedam antiquissimorum narrationes huic notioni parum convenientes ab eo dissimulatae certe non sedulo conquisitae sunt. Plura tamen diu ante bellum Italicum, imo ab antiquissimis scriptoribus cum maximo Romanorum principatus et gloriae respectu narrata et paulisper inversa esse accurata comparatio docuit. De Hernicis error Livii est, II. 41. cf. infra §. 48.

1) Cf. qui solus hoc recte explicuit Walch. observatt. Liv. p. 60. seqq. et versionem Heusing. alii etiam cum Veiis habitasse narrabant: Flor. I. 22. 5. Lucan. V. 28.

Gallorum odium, quo abreptus primum historici officium mendacia de iis tradendo laeserit, multi in eo notaverunt, aut ut in Cisalpino mirantes aut per Gallorum cum Patavinis inimicitias (Liv. X. 2.) explicantes [1]). Sed iii ea quae Livius tradita accepit ab iis quae ipse fingere potuit non distinguunt, cum in ipsa rerum narratione nullum odii signum appareat, res ipsas dudum ante ita vulgatas esse supra probatum sit, in iis autem quae de eorum ferocia et inhumanis moribus dixit Polybium, Caesarem, geographos et al. assentientes habeat; cf. et Averan. dissert. in Liv. c. VII. opp. t. II. p. 19. sq. [2]).

§. 43.

Ob patriciorum quoque studium et praeiudicatas ex seriorum temporum historia haustas opiniones de plebeiis eum historiam corrupisse suspicio est [3]). Et vere de plebeiis ut de peiore populi parte loquitur ibi quoque, ubi eos laudat (IV. 55.), senatus et Claudiorum agendi rationem fere non improbat, sed eorum causam ut meliorem describit [4]), ita tamen,

1) Ut *Glareanus* in epistola Livio praefixa, et animosius ad XXII. 2. 6. *Barthius* advers. 60. 6. *Rualdus* ad Plutarch. *Palmer.* exercit. Gr. p. 188. *Brodaeus* Anthol. p. 379. et certatim Galli *Vayer*, *Folard*, *Douiatius* et alii, *Melot* (memoires de l'Academ. tom. XV. p. 1. seqq.) *Levesque* memoires de l'institut etc.

2) Inde apparet quam iniusta sit illa reprehensio hinc firmata, quam non meis sed Folardi (ad Polyb. I. chap. 1. p. 7.) verbis repetam. Il (Tite Live) compose des victoires imaginaires par haine par jalousie ou par esprit flatteur; pour rehausser la gloire ou couvrir la honte de sa nation. cf. p. 118.

3) Cf. *Niebuhr* II. 20. 58. 67. *Buchholz philos. Untersuch. über die Römer*, T. 1. *Bernhardi* sur T. Live et Tacite in archives literaires. Paris 1806. T. IX. p. 334. et iam antea praecipue *Beaufort* Republ. Rom. T. I. p. 387. 391. al.

4) De iniquo Manlii iudicio VI. 20. "apud neminem auctorem invenio, nec dubito, — haud parva fuisse (crimina); IV. 43. III. 35. primorum ambitionem in bonam partem interpretatur; VII. 18. ubi quidam

ut non caeco harum partium favore abripiatur; cf. de decemviris (Niebuhr II. p. 120. 124.) de Genucii caede (II. 54.) quod facinus Dionysius verbis involvit (IX. 38.). Et honorifice de plebis modestia ceterisque virtutibus loquitur (IV. 6. 9. 16; III. 64. 60. II. 62. 61.) patriciis cladis culpam tribuit (IV. 58.) et cum secundum alios etiam plebeii inter decemviros anni posterioris essent (Dionys.) Livius eos sequitur qui omnes patricios fuisse tradebant; cf. IV. 3. In orationibus sane hoc partium studium eum abripere potuit, quamquam ab altera quoque parte acerrimae orationes habeantur (IV. 3; X. 7.). Multa quidem, per quae patriciorum potentia paulatim a plebe fracta est, perstringere, quam in turbis et rebus antiquitatis amatori non gratis immorari maluit, ut motus Licinianos, (cf. §. 38.) secessionem connubii causa in Ianiculum factam (Flor. I. 25. Ampel. c. 25. Augustin. C. D. III. 17.) comitia tributa plebi concessa, pro lege Publilia SCtum patribus extortum (Dionys. IX. 49. cf. Liv. II. 57.) et saepius dictatores ad plebem terrendam et comitia habenda dictos (cf. Laurent. Lyd. de mag. I. 38.) omisit, et quod a patribus plebeii in senatum lecti sunt etc. Historiam tamen Livium non pervertisse sed religiose scriptores secutum esse locus ipse de Manlio laudatus et alii satis probant, sed si quod partium studium et obtrectatio eam corrupit, hoc ante Livium per scriptores patricios factum esse videtur, ut fortasse in narrationibus de Manlio (cf. Niebuhr II. 189. seqq.) [1]) de turbis tribuniciis, de Kaesone Quintio (III. 12. seqq.) etc.

---

annales duo patricios coss. habent, alii alterum e plebe (cf. c. 17. 10. 16. 9. 23. 1.) priores sequitur, cum hoc vero similius sit.

1) Servilium Ahalam damnatum quidam tradebant (Orat. pr. domo 86. Valer. M. V. 3. 2.) Livius IV. 21. accusationem vaniorem ipso auctore fuisse dicit.

Denique pro familiis quoque quibusdam studium in eo reprehendit Micali [1]) cf. Liv. XLII. 12. sed immerito. Gentilium amor, quo plures Fabiae gentis scriptores suorum maiorum res gestas vel auxerunt, vel saltem aliis postpositis eas enarrarunt, cuius Valerius Antias et Licinius Macer Livio ipsi suspectus est, nullo apud Livium vestigio deprehenditur [2]). Iam ante eum gentilis gloriae arrogantia res bellicas, ordinum et factionum studium res urbanas et motus civiles, et Romanae nationis superbia externas urbis coniunctiones, et antiquas ceterarum urbium conditiones narrando immutaverat. Livius nec alii cuiquam nec Augusto ipsi assentatus est, nec maiores eorum celebrans, nec sua tempora et opes eorum laudans; cf. §. 23. fin. et 38. et Monboddo origin and progress of language t. V. p. 26. qui per totum c. 1. bene de Livio disserit. Nec I. 30. ubi Iuliorum mentio fit, illam observationem addit quae apud Dionys. I. 70. est, nec X. 3. Ciluiorum mentionem cum Maecenatis respectu factam esse suspicari licet; nec quidquam persuadet Mirus in dissert: Livius Augusti Caesaris adulator in historia de Cossi spoliis caute legendus; (de re v. supr. §. 7.). Et in reliqua quoque historia apertum et liberum et antiquitatis liberaeque civitatis amantissimum se ostendit, ut dignus Thraseae Helvidiique popularis esset, et Pompeiani nomen mereret, et a proxima aetate fidei praeclarus haberetur [3]) (Tac. Annal. IV. 34. Seneca N. Q.

---

1) L'Italia — Vol. IV. p. 231. "Livio per vile ossequio verso una famiglia potente chiama astuzia l'iniqua violazione fatta da Popilio di quella legge" — Livius satis vituperat cum artem fallacem dicit; cf. sqq.

2) Quod enim quidam ad XXV. 10. 3. notavere, nihil est; cf. Duker.

3) Haec libertas imperatoribus molesta (cf. Sueton. Caligul. 34. Domitian. c. 10. Tacit. Annal. l. c.) funestior eius operi fuisse videtur, quam aut ipsa eius moles, aut cum imperii R. interitu deficiens lecto-

V. 18. [1]) et omnino in hac historiarum parte omnis se expertem curae sentiebat, quae scribentis animum etsi non flectere a vero sollicitum tamen efficere posset." —

§. 44.

II. Sequitur ut de diligentia, qua annales contulerit et inter se comparaverit, quaeramus. Primo autem non omnes, quos habebat annales ubique inspexit, id quod saepius historiae obfuit; scriptio eius non multa annalium lectione et collatione praeparata erat, sed nonnumquam serius etiam quosdam contulisse videtur, cum diversas sententias post expositam rem in fine addit, ut X. 29. ubi post interiectam iam alius pugnae descriptionem de pugna Sentinati aliorum annalium narrationem adducit. Nec semper cum aliquid rectius enarratum alio loco postea invenit, priora correxisse videtur, ut faciendum fuisset l. II. et IV. 29. fin. cum apud Polybium, ad quem serius accessisse videtur, vetera foederum cum Carthaginiensibus factorum monumenta cognovisset. Eo quod non nisi annales continuos cuiusque temporis, quod describebat, adhibuit, laborem in rebus inde excerpendis et vitia in excerptis perperam adhibendis digerendisque committi solita evitavit; sed singuli tantum in quo

rum historiae patriae cupidorum copia, aut barbarorum, quibus haec historia suae maiorumque ignominiae documentum, Romanis tum servientibus praeconium et ad animos recipiendos incitamentum esse videbatur, invidia. Praefecti quoque urbi et praetorio qui scriptores emendabant, ut Livium Nicomachus ille (cf. Drakenborch. t. VII. p. 321. et Burmann ad Vales. de Crit. I. c. 34.) talia omisisse et abolevisse videntur. — Seumium quoque tale quid suspicatum memini magni et candidi animi virum in ambulatione Syrac. I. p. 89.

1) Quintil. II. 5. 19. Sallustium *maiorem* auctorem cave cum Spaldingio fide digniorem explices: de arte historica maiore intelligendum est. Sed *clarissimus candor* quem Quinctilianus ei tribuit non ad fidem historicam sed ad narrandi inconditatem spectat.

versatur anni historiam respiciens, sequentia fere ignorat, antecedentium nonnumquam parum memor est. Haec omnia excusantur quidem etsi non defenduntur veteris rei librariae incommodis et molestia singulos locos in quovis volumine inveniendi scriptoresque inter se comparandi, qui sententiam quisque suam ita exposuerant, ut raro alter alterum respiceret, et rem ita ad liquidum perduceret. Hinc factum est, ut si quid de sequentibus praedicit, saepius erret. Ita VI, 42. pugnam Manlii cum Gallo decem haud minus post annos factam cum pluribus se ponere dicit, cum tamen non a. 398. sed iam 394. ab ipso postea VII. 10. et a ceteris narretur. Et VI, 1. clariorem deinceps historiam promittit, quam maximis erroribus et difficultatibus obsitam identidem postea queritur. Lib. VI. 38. ubi Camillum per tribunos ad abdicandam dictaturam permotum esse non recte dubitat (cf. Plutarch. quoque Camill. 39.) causa adiecta: "*quoad* [1]) usque ad memoriam nostram tribuniciis consularibusque certatum comitiis est, dictaturae semper altius fastigium fuit," nec sequens Camilli exemplum respexit VI, 42. nec L. Manlii, qui tribunis plebis in eum coortis magistratu se abdicavit (VII. 3.). Et XXXI. 12. *patrum memoria* factum dicit, quod septem annis ante factum erat XXVII. 37.

---

1) Ita nunc cum Drakenborchio legitur. Reponendum videtur *quod* (coniunctio) e codd. et edd. antiqu. "*quia* consules quidem — certaverunt, dictator (autem) semper altior fuit quam ut tribuni eum attingerent. Falli puto eos qui *quoad usque* — ita de tempore dici posse putant, ut nuper quoque V. D. in Jenens. ephemer. litterar. 1821. Octob. p. 123. sed eos quoque qui locum corrigunt, ut cum Sigonio plures, et nuper Büttnerus in Observatt. Livianis p. 45. — V. D. in biblioth. crit. Hildeshem. 1820. p. 788. *quod* pro pronomine habet et explicat, *quantumcunque* certatum est, sed hic desideraretur *quantumvis*, quamquam.

§. 45.

Inde quod non omnibus locis inter se collatis alios alibi auctores securus sequitur narrationis discordiae, repetitiones, omissiones ortae sunt. — Nonnumquam ipse indicat, duas esse narrationes, e quibus aliam alio loco sequitur, ut de Papirii consulatu VIII. 23. cf. IX. 7. et 28. Saepius ex ipsa narrationum diversitate de diversis fontibus concludi potest, ut de Maenio IX. 26. et 34. (cf. Perizon. animadv. hist. p. 365. seqq.) ut V. 34. et 17. et 37. (cf. supr. §. 14.) — I. 55. 4. Termini solius meminit (ut Cato quoque ap. Fest. v. nequitur) sed V. 54. 7. Termini et Iuventutis, ubi recte Drakenborch. diversos fontes agnoscit. Et saepius discrepant res in orationibus commemoratae ab historia eius (infr. §. 55.) magis etiam narrationes in prima et in reliquis librorum decadibus [1]) quippe e diversis annalibus haustae, ut V. 7. a XLII. 46. 6. discrepat, et (quod Niebuhr. II. 271. observavit) V. 38. a XXII. 5. — Saepius incertum est, an Livii memoriae lapsus [2]) et error, an annalium diversae narrationes dissensus causa sint. A se ipso discrepat cum IX. 29. Plautium propter invidiosam senatus lectionem verecundia victum censura se abdicasse scribit, c. 33. et 34. ob tempus circumactum. — I. 15. ut cap. 8. centum Romuli senatores sunt, de Sabinis aut L. (ap. Plutarch. in Numa et Zonar.) aut C. (ap. Plutarch. in Romul. et Dionys.) allectis ignorat, sed I, 17. non nisi C. senatores omnino fuisse bis dicit (alterum C. accedit I. 35. ubi Zonaras quoque CC. habet, tertium II. 1.) et tamen I. 17. *Sabinos* senatores facit §. 1. et c. 18. Romanos a *Sabinis*

1) Quae in altera historiarum parte adsunt discrepationes, (cf. Perizon. animadv. histor. p. 344. 350. seqq. 364. add. Wachsmuth p. 41.) etiam de hac praeiudicio esse possunt.

2) Hic non nisi iis exemplis quae in primis X libris reperiuntur utar. Nam in bellorum Punicorum historia ob maiorem rerum copiam saepius etiam sui immemor est.

distinguit. — Ita V. 18. 2. omnes tribunos mil. ex collegio eiusdem anni refici apparuisse, et §. 6. refectos tradit, cum tamen non omnes sint ex eodem sed duo ex sequenti; cf. c. 12. et 13. — Urbis quoque cladem ita exaggerat, tamquam tota incensa sit, V. 42. et 43. ut sibi ipsi fere contradicat, cum curia Hostilia servata sit V. 55. I. 30. et alia templa complura quae Tacitus enumerat (Ann. XV. 41.). De Manlio Imperioso cf. IV. 29. cum VII. 3. et 4. iam Perizonius notavit in Animadv. hist. p. 368. seqq. Duker ad Flor. I, 14. 2. (frater quoque Lucii Imperiosus vocatur VII. 12. 16. 17. 22. 28.) Puto potius varias narrationes sequutum Livium, quam memoria lapsum. Plinius certe (XXII. 6.) Titum appellat Imperiosum, et Frontinus Strateg. IV. 40. eum post filium occisum ita vocatum tradit. — L. VI. 9. "legiones urbanae, quibus Quintius praefuerat" non esse possunt causarii et seniores, quos Quintius habebat, (c. VI. §. 4.) sed Servilii exercitus, qui in urbe castra habebat, (ibid.) de permutatione exercituum nihil dicit. Itaque aut Livius erravit aut legendum pro Quintio, ut Heusingerus quoque voluit, *Q. Servilius.* — I. c. 53. *fundamentis iaciendis* et c. 55.: "vix in *fundamenta* suppeditavere," alium sequitur, quam c. 38. ubi iam Prisco fundamenta iacta adscribuntur. Dissentiebant in rebus vel huic vel alteri Tarquinio tribuendis [1]) — VII. 15.: "ludi votivi, quos M. Furius dictator voverat, facti." Veienti bello 38 annos ante voti (V. 19.) de quibus interpretes explicant, intelligi nequeunt, hi secundum Livium (V, 31.) dudum ante facti erant, nec ii esse possunt de quibus l. VI. c. ult. sermo est, nec ludi Capitolini ab eo instituti V. 50. qui non votivi erant. Diversos annales Livium sequi putarem, nisi

---

1) Fortasse intelligendae c. 38. substructiones ad aream aequandam factae (Dionys. IV. 56.) c. 55. templi ipsius fundamenta, sed non satis distinxit.

e. c. XI. ubi Servilius dictator (duobus annis ante) senatu auctore ludos magnos vovit, probabilis coniectura se offerret, pro M. Furius hic etiam legendum esse *Q. Servilius.* Fortasse id quod in eodem capite antea M. Furii mentio facta erat errori locum dedit. — Sunt autem alia in quibus breviloquentia effecit ut immerito negligentiae accusetur ut VI. 38. (cf. Niebuhr. II. p. 409.) quem locum a Wachsmuthio recte defensum (p. 432.) nec ut Heusingerus arbitratur depravatum puto. Ita I. 30. pacta cum Romulo induciarum fides (cf. c. 27.) verum videtur, quia hae eaedem Tullo rege nonnisi renovatae erant. Nec de fecialibus discrepat, I. 32. cf. c. 24. 22. 30. (ut Beaufort R. R. I. p. 46. Ruperti ad I. 24. et alii putant), non enim omnes fecialium ritus, sed sola clarigationis formula ab Aequis petita est. L. VIII. 8. ubi Romanos postquam stipendiarii facti sint scuta adhibuisse dicit a l. I. 43. discrepare saepius observatum est, (cf. Le Beau in Mémoires de l'Academie des inscript. tom. XXXIX. p. 452.) Sed non accurate locutus est, non omnes tum primum sed eos quoque qui antea clypeis usi erant primae classis milites tum scuta accepisse dicere voluit. Nec iis quae de C. Marcii (II. 33.) et Sergii Fidenatis (IV. 7.) cognominibus dixerat repugnat l. XXX. 45. (cf. §. 27.) sed Scipio *primus* de *terra* victa cognomen traxit (assentit Silius XVII. 627. cf. et Vives ad Augustin. C. D. X. 21. f.) illi tantum de *urbibus*. Nec in eo sui oblitus est quod Manlium Capitolini cognomen post capitolium servatum accepisse V. 31. [1]) et cognomine prope coelestem et Iovi parem (VI. 17.) factum dicit, (ita et alii, Zonaras etc.) cum tamen iam antea Manliis hoc cognomen (VI. 42.) inde quod in Capitolio habitabant (VI. 20.) idem-

---

1) Gronovii et Drakenborchii contortas explicationes vocis *etiam* refutavit Heusingerus, cuius tamen coniectura *meritum* cognomen non necessaria videtur.

que in Quinctia gente fuerit. Distinguendum enim est inter nomen hereditate acceptum et virtute paratum, et quamvis iam antea in familia erat, tamen oblivioni fere traditum in hoc autem Manlio aliam ob causam insigni cum honore *renovatum* est. Papirio quoque a pedum pernicitate Cursori cognomen datum narrat IX. 16. 8. (cf. Ampelius c. 18. Zonaras VI. 26.) cuius avo iam hoc cognomen erat; v. IX. 34. cf. VI. 5. 11. Nolim cum Heusingero legere: "quae cognomini vim dedit." Ita Polybius III. 87. Fabium Cunctatorem familiae nomen Maximi meruisse dicit, quamquam iam Fabius Rullus id obtinuit: v. Liv. l. IX. c. 46. VIII. 18. et 29. XXX. 26. Plutarch. Fab. Max. c. 1. Aurel. Vict. V. Ill. c. 32. Ampelius c. 18. fast. Cap. a. 421. Zonar. VIII. 1. quod nollem ut errorem Polybio Fabiae genti familiarissimo exprobratum ab Haberlando in dissert. pro Rom. Sardiniam occupant. p. 5. et 6. et ab Ernestio opuscul. phil. crit. p. 104. Ita et T. Manlius Imperiosi cognomen patri iam datum ipse suis moribus denuo meruerat. (cf. p. 97.)

§. 46.

Eaedem res nonnumquam in diversis annis repetitae sunt, quo cave referas similia facta, aut earumdem rerum repetitiones iam in historiam vulgo receptas. — De Mercurii aede II. 21. et 27. de Suessa II. 17. et 22. 25. 26. Talia complura in altera historiarum parte sunt, aut e diversis annalibus hausta aut confusione ob alias res interiectas orta repetita. Non accurate II. 16. ubi Claudium advenisse narrat, tribum Claudiam factam tradit, et c. 21. nono anno post Romae XXI. tribus factas, cum Claudia ipsa sit vigesima prima; cf. Ouwens Noctt. Haganae I. c. 11. Dionys. V. 40. accuratius φυλή τις ἐγένετο σὺν χρόνῳ, scilicet post pugnam Regillensem. Non recte repetitionem notari puto de colonia Carseolis a Cluvero Ital. ant. II. c. ult. et Drakenb. aliisque ad X. 3. et 13. Nam cum Marsi eam adorti essent

novi coloni, ut fieri solebat, adducti sunt, ita X. 1. colonia Soram deducitur h. e. ad eam supplendam novi coloni, cf. IX. 23. Nec I. 35. et 56. idem repetitur, ut Wachsmuth p. 175. putat; illic privatim a singulis fori aedificantur, hic publice.

Nonnumquam alios scriptores alio loco sequutus ad res veluti iam narratas respicit, de quibus illi quidem exposuerant, ipse omiserat aut in posterum distulerat; ita saepius induciae rumpuntur quas factas nusquam tradidit, urbes expugnantur, quas in hostium potestatem venisse non narraverat, ut IV, 30. aut repente rursus Romanae sunt quae paulo ante hostium erant: IV. 55. cf. interpretes ad IX. 12. 9. VI. 2. 14. IV. 12. 2. X. 33. 9. XXXIII. 44. 2. Nam saepius etiam in tertia et quarta librorum decade hoc accidit. Alia tamen brevitatis causa sciens omisit.

§. 47.

Nonnumquam etiam intra breve temporis spatium eo quod res e diversis scriptoribus haustas coniunxit confusio et narrationis discrepantia nata est. Ita II. 18. seqq. ubi coss. series et res ipsae certae erant, in rebus singulis cuique anno assignandis variabant, ita ut si res a Livio narratas aliter disponas cum Dionysio consentiat [1]). Livius in rebus per annos digerendis alios sequitur, quam in singulis exponendis. T. Lartium primum dictatorem fuisse et quidem anno U. 253. e veterrimis ut dicit hausit. — Alii Valerium dicebant, (cf. Festus quoque v. *optima lex*, Hieronym. Chron. p. 31. Scal. et Paulus Diacon. I. 16., qui etiam addit magistrum equitum Sp. Cassium), et quidem eodem anno 253. quo Livius. — Tamen eumdem paullo

1) Cf. de la Curne in Mémoires de l'Acad. des inscript. Tom. VIII. p. 363. seqq.

post *consularem* [1]) vocat (II. 18.) quod ii tantum poterant, qui a. 256. dictatorem eum faciebant, ut quidam ap. Livium et Dionysius et Varro apud Macrob. I. 8. cl. cum Livio c. 21. — Proelium Regillense in annum U. 255. reponit, tamen in sequentibus eos sequitur, qui ut Dionysius id ad annum 258. referebant (quod verius esse e lege de consularibus apparet) Cap. 22. init. a. 259. Romanos ira permotos dicit, quod Volsci — comparassent auxilia. Recte secundum eos, qui proelium in annum U. 258. reponebant, secundum Livium triennium intercesserat. Eodem capite dixit "recens ad Regillum accepta clades" secundum eos, qui eam proximo ponebant, non quarto inde anno. Ipse II. 21. de obscuritate horum temporum queritur; qua etiam effectum est, ut cum quidam Suessam dirutam in annum 259. alii in annum 252. referrent Livius utramque narrationem coniungeret et rem repetat II. 17. et 22. 25. 26. cum alterutro in loco Cameria sit, ut apparet e Zonara VII. 13. cl. cum Liv. II. 17.

§. 48.

Singulos quoque scriptores, quos quovis loco inspexit, nonnumquam minus diligenter contulisse videtur. Ita V. 38. tribunos hominum deorumque immemores non sacrificasse narrat. At sacrificaverant, sed atro die (Verrius Flaccus ap. Gell. V. 17. Cn. Gellius et Hemina apud Macrob. I. 16.). Fortasse

---

1) At consularis vocari potest qui consulatui obtinendo aptus aut nunc potissimum consul est. Hoc saltem loco non potest, quia is qui iam consul fuerat accurate opponitur ei qui nondum fuerat; nec poterat "moderator et magister consulibus *ad*poni" qui ipse eo anno consul erat. Sed anno 256. poterat. Ceterum ne *Spurium* Lartium, quem Heusingerus in versione tacite reposuit pro *Tito*, pro vero habeamus (quamquam is cum iam anno 248. Cos. fuerit consularis recte dicatur) vetat librorum consensus et Varronis l. c. et Dionysius apud quem hic dictator saepius Τίτος dicitur V. 71. 76. etc.

vocis *litandi* ambigua significatio eum decepit. Maior error II. 41. ex annalium brevitate non recte intellecta fluxisse videtur. Eo tempore, quo Latini foederis sociis se adiunxere Hernici duas agri partes iis ademptas tradit. Incredibile hoc esse iam Beaufort vidit; cf. Micali tom. IV. p. 127. Niebuhr I. 448. — Dionysius VIII. 69. [a]) eodem tempore Hernicis ut iam antea Latinis tertiam partem agri quem iunctis viribus capturi essent in posterum assignatam scribit, agrum autem quem Cassius divisurus erat veterem publicum fuisse. Hinc collato Livii c. 41. "quid attinuisse Hernicis — agri partem tertiam reddi" erroris origo apparet. Cum enim tertiam agri partem Hernicis in posterum scilicet concessam legeret, aliquando autem victis duas agri partes ademptas (e. c. VIII. 1.) meminisset, de tertia parte agri eorum capti post duas ademptas iis reddita hoc intellexit. Fortasse iam alius ante Livium ita erraverat. Dionysii tamen annales iuniores et in ceteris plerumque Romanis faventes verum habebant.

§. 49.

Nonnumquam res, quas narrare incepit, non ad finem perduxit. Ita bellum in Auruncorum auxilium susceptum post dictaturam abdicatam non detexuit; cf. interpp. ad VIII, 15, 9. In rebus quoque suo anno assignandis non semper ordinem quo narrandae erant servavit. Naturalis anni initium ac finem a consulari diversum non respiciens interdum perperam res tamquam annus solaris esset et a bruma incepisset exposuit, e duabus expeditionibus hieme interruptis unam

a) Idem repetit c. 77. "quibus satis esse debuisset si non agri parte multati essent, eos cives fecisse et agri ac praedae quaecunque parta in posterum esset tertiam partem accipere statuisse." Vel apud Livium ipsum rei exemplum est IV. 56. Ferentinum — Hernicis donasse.

fecit etc. Manifesta confusio est in anno U. 295. III. 24. Consularis annus tunc ante sextilem [1]) finiebat, cos. triumphabat IV idus Maias. (cf. fast. triumphal. Panvinii p. 201.) — Ita V. 13. a. U. 355. hiems perfrigida et nivosa est, quam proximo anno excepit aestas pestilens. Illam in Licinii magistratum reponit, hanc in sequentem tribunatum (c. 15.). At Licinius magistratum iniit mense octobri (Liv. V. 9. Bredow l. c. Drakenb. ad Liv. V. 13.). In eumdem igitur magistratus annum hiems et insequens aestas cecidit [2]). Aliud exemplum similis confusionis (XLIII. 11.) notavit Dodwellus (de cyclis p. 492.). Etiam ubi Polybium sequitur, dum res perperam per annos dispertit difficultatibus chronologicis se induit, etiamsi Polybius omnia distincte narraverat: XXI. 15. cf. c. 6. Polyb. III. 17. et 36. — Multas autem confusiones et errores iam ex annalibus, quos securus sequitur [3]) hausit; cf. supr. ad V. 1. Negligentiae denique imputandum est quod, cum annalium rationem narrandi anxie servet et saepius ubi nihil memoria dignum actum est nomina tamen consulum apponat, nonnumquam annos non memorabiles omisit, aut res in iis gestas coss. nominibus omissis praecedenti anno addidit, ut II. 15. 1. a. 248.

---

1) Bredow *über die Antritts - Zeit der Consuln. in: Untersuchungen über Gegenstände der Geschichte* etc. p. 138. seqq.

2) Vellem me in his ad Livii interpretes provocare potuisse. Sed explicationem historiae criticam in Livio quoque vix inchoatam iure queruntur quibus sanior interpretatio cordi est. Nec quidquam in hac re novi praestitit promissor G. Garzia in opere: Storia della R. R. nella quale — si dimostrano i vizi e gli errori di quella di T. Livio. 1778. cuius IV. priora volumina ad primam Livii decadem pertinent, nisi quod Livii dissensus a Dionysio saepius ab eo notantur, et ille Graeci auctoritate temere refellitur, et contra chronologiam eius multa monentur.

3) Ut cum manifestum Polybii memoriae lapsum transscripsit (excerpt. c. 28.) si fastos inspexisset facile vitandum, cf. Drakenborch et Crevier ad XXXVIII. 11. Perizon. Animadv. hist. I. p. 17. seqq.

deinde duo Coss. paria II. 35 – 37. omisit, quae ibi inseri cum Pighio et Dodwello non possunt (cf. Perizon. Anim. Hist. c. 2. p. 44.) sed omnia quae Dionysius his annis exponit a Livio prius dicta sunt, et fortasse antiqua aera hos annos omittebat, ita ut bellum Volscum Coriolani exilium statim sequeretur. Livius tamen eos computat III. 30. 33. etc. — Annus omissus est inter a. 418. et 424.[1]) et IX. 22. Coss. nomina omissa, fortasse librariorum culpa.

§. 50.

III. Deinceps de acumine et dexteritate *iudicii*, quod in annalibus tractandis, in rerum veritate examinanda et diversis narrationibus diiudicandis adhibuit, quaerendum est. Quidam ut Kruse l. c. p. 33. 36. Meierotto p. 30. summam in rebus maximis minimisque veri indagandi curam ei tribuunt, dum alii eum in hac re valde reprehendunt [2]) et tamen e Livii dubiis et erroribus de historia incerta et falsa concludere non dubitant. Se non scribendi tantum arte sed rerum quoque certitudine, rudem vetustatem superare voluisse, ipse indicat, nihil haustum ex vano se velle (XXII. 7.) curam non deesse, si qua ad verum via inquirentem ferret (VII. 2.) pigere aliquid incertum ponere (X. 18.) nec tantum lectorum delectationem quaerit, sed (III. 4.) etiam iis providet, qui ipsius annales cum ceteris collaturi sint.

§. 51.

Quomodo paratus et instructus ad hoc fuerit, cum de opportunitatibus quibus usus est, aliunde nihil constet, ex

---

1) Saepius ob diversos quos inspexit annales res gestas transsiluit et omisit, ut in ultimo secundi belli Punici anno; cf. U. Becker über Livius XXX. c. 25. et 29. Ratzeburg 1822. et similia notavimus in altera commentatione.

2) Ut Beaufort, Levesque, Rambach, Nachtigal (in *deutsche Monatsschr.* 1790. I. p. 335. sq.) et alii.

opere ipso concludi debet. Ingenium illud boni historici, sensus nativus veri et falsi acer et praesens et rei publicae gerendae prudentia in eo non eminet, bonarum literarum scientia adest. Multa produnt hominem, qui inter philosophica et rhetorica studia [1]) enutritus numquam ad rem publicam et ad castra accessit; itaque earum rerum quas describit solida cognitione, usu et experientia caret. Inde rei militaris et tacticae imperitia: v. Casaubon. praef. ad Polyb. et Folard in commentar. saepius. Cf. etiam l. VIII. c. 8. cum Polybii descriptionibus talium rerum militarium. Inde obscurae [2]) acierum, pugnarum, et similium rerum descriptiones, nonnumquam etiam discrepantes (VII. 15. 6. et cf. Niebuhr. II. 499. seqq. 514.). De tergeminorum pugna cf. Bauer chrest. Liv. p. 36. ad I. c. 25. etc. Circumvallationem Aequorum III. c. 28 – 29. tamquam in plano campo factam incredibili quodam modo describit, cum tamen in Algido res gesta sit, secundum Livium et annales quos etiam Dionys. X. c. 24. sequitur, in valle quadam eos inclusos esse tradens. V. rem perspicue delineatam apud Iekel. *Schlachten der Alten* tom. I. tab. XV. cf. p. 16. — Locos regionesque non, ut Polybius et Diodorus, visitasse eorumque situs cum rebus traditis comparasse videtur. Inde in talibus nonnumquam narratio eius obscura est (VII. 34.) etc. etiam vitia geographica adsunt. Ita IV. 7. expeditionem ad lacum Fucinum cum altera adversus

1) Cf. Seneca Ep. C. Controv. 25. Quinctil. Inst. II. 6.

2) V. descriptiones oppugnationis Syracusarum XXIV. 33. et Polyb. III. 50. (cf. Matthiae *Bemerkungen* supra cit. et Wachsmuth. p. 34.) pugnae ad Zamam XXX. 33. cf. Polyb. XV. 12. et interpretes ad XXVII. 14. 2. XXVII. 48. XXXIII. 9. 3. et XXXVII. 24. 3. XXII. 48. 5. Propterea Monboddo l. c. t. V. p. 56. illud Shakespearii in Livium convertit: he knew no more of the division of a battle than a spinster; ubi etiam errorem notat in pugna ad Cynoscephalas commissum XXXIII. 8. cl. cum Polyb. XVII. 20.

Volscos commiscet, et in eadem regione fallitur, X. 1. quod Albam Fucentem in Aequis sitam putat, cum in Marsis sit, (cf. Cluveri Ital. antiqua p. 768. et Holstenium p. 160. Micali IV. p. 14.) de Aequorum et Volscorum terra confusa notavit Niebuhr. II. 240. Ita fortasse confusio urbis Atinae cum Atella (IX. 28.) Livio non librariis adscribenda est. (Peregrin. Campan. fel. discorso IV. p. 220. Micali III. 313.)[1]). Error quem notavit Garzia t. IV. p. 32. de Teate nullus est. — Antiquarum rerum, morum et institutorum non satis peritum fuisse Livium, et ubicunque a scriptorum verbis recessit saepius errasse, et alii [2]) et Niebuhr. observavit (saepius e. c. II. p. 17. 223. 472. et de foedere Latino). Ea quae a senatu et quae comitiis curiatis facta sunt, commiscet ambigua voce *patrum* usus; nonnumquam plebeios cum clientibus confundit etc. A se ipso dissentit cum (IX. 5.)[3]) in foedere negat ulla praeter fecialium nomina scribi, II. 33. unius tantum consulis nomen scriptum dicit quia alter abfuerit, et IV. 7. utriusque. Nec tres tribus antiquas a centuriis equitum accurate distinxisse videtur. Illam enim primam (Varro L. L. IV. 9.) et maximam totius populi descriptionem eamque valde memorabilem, quod inde multa e. c. vestalium, (Fest.) augurum, (Liv. X. 6.) aruspicum numerus (Dionys. II. 22.) et alia explicantur, nusquam commemorat, nam I. 43. aliae tribus sunt. De hac tamquam sola loquitur I. 13. Inde quod non modo tres antiquae populi partes (cf. ll. cc. a Niebuhr. I.

1) Ita Syracusis Achradinam et Insulam confundit XXV. 30. XXVI. 10. et saepius in illis libris locorum ignorantia eum in errores induxit.

2) Imprimis Duni in opere ingenii et acuminis pleno: Origine e progressi del cittadino etc. di Roma t. I. p. 5. etc.

3) Ex hoc loco igitur non recte conclusit St. Croix in Mémoires de l'Acad. des inscript. T. XLVI. p. 10. (Remarques sur les traités Rom. et Carthag.) Polybium nomina coss. in foedere illo antiquo non reperire potuisse. Sed idem fecit Gibbon. (miscellaneous works II. p. 464.)

p. 223. et al.) sed etiam minus proprie centuriae equitum secundum illas constitutae *tribus* vocabantur (Liv. I. 36. Dionys. III. 71. Flor. I. 5. 2. et I. 1. 15. Isidor. IX. Orig. 3.) confusio illa orta esse videtur, eo etiam facilius quod et tribus et centuriae serioribus temporibus longe diversae ab antiquis illis erant. — Nonnumquam tempora confudit ut cum proconsulem pro praetore et propraetore dicit (cf. Wachsmuth. p. 33.). Tales errores obfuerunt in rebus diiudicandis, ut, cum spolia opima non nisi a summo duce ferri posse falso putat (IV. 20. cf. Fest. v. spolia opim. Perizon. animadv. hist. c. 7.)[1]. — Temporum quoque rationis si peritior fuisset fortasse plura expedire potuisset, sed ne diversas quidem aeras a Catoniana distinxit (cf. Dodwell. de cycl. p. 669. 877.). — Annum Alexandriae conditae aut ipse aut scriptores quos temere sequitur perperam ad urbis conditae annos computaverant, ut annus U. 437. esset pro a. 422. Olympiadum ratione decepti esse videntur, apud Solinum enim vera olympias CXII. quae e Diodoro, Plutarcho, Arriano etc. et per eclipsin solarem comprobatur (cf. Petav. D. T. X. 38.) et tamen idem falsus annus ab u. c. affertur. Posset etiam iteratus Papirii Cursoris magistratus errori locum dedisse, quod Livius a. 421. quo Alexandria condita ponenda erat Coss. Papirium et Poetelium plane omisit, in sequentem autem *Papirii* magistratum a. 427. Alexandriam conditam reposuit: VIII. 24. Sed illud verisimilius videtur. De Pythagora qui Romanis mature innotuit et bello Samniti statua ornatus est (Plin. XXXIV. 6.) antiquum errorem chronologicum, quem similitudo inter Pythagorae et Romanorum instituta intercedens produxerat[2],

1) Magnus error, e quo etiam de aliis concludi posse dicit Niebuhr. II. 476. evanescit eiecta voce spuria: tribus e vexillis constabat, [vexillum] CLXXXVI. pedites erant — plura glossemata hoc in loco in codd. sunt (cf. Hearne).

2) De qua Castor librum conscripsit; v. Plutarch. Quaest. R. c. 10.

iam alii ante Livium I. 18. notaverant ut e Dionysio et Cicerone apparet. Quae de cyclo intercalari XXIV annorum dixit vera esse contra Scaligerum et alios, probavit Ideler in commentatione supra p. 61. laudata p. 139. sq. cf. etiam Hensingeri adnotationem et Averanium dissertatt. in Liv. c. 30. Errorem de veteri anni ratione quem Niebuhr. II. p. 266. accusavit, nullum esse alibi demonstravi. — Antiquioris linguae imperitiam in scriptoribus legendis qui Plauti, Terentiique aequales et, ut e fragmentis apparet, lingua non valde obsoleta et difficili usi erant ei non multum obfuisse puto. Falsum est, quod a T. Fabro dictum Morhofius et innumeri alii repetierunt, Livium (IV. 36. 6.) verbum antiquum *classes* in annalibus pro equestri proelio positum perperam de navali pugna intellexisse. Etsi Hortinae classes (v. Heynium ad Aen. VII. 716.) et procinctae classes (Gellius I. 11; X. 25. e Fabio Pictore; Fest. v. opima et v. procincta) dicantur, numquam tamen classes pro equitibus ita dicuntur ut pedestri aciei opponantur, quoniam de peditibus quoque dici e ll. cc. apparet, nec cum equestri pugna in hoc proelio nobilissima hoc confudisset Livius. Sine dubio de navali pugna quidam rem augentes scripserant; cf. Livium l. c. et IV. 7. (I. 27.) confluentes; c. 31. traiecto Tiberi. — De plurali classibus etiam pro una classe posito v. Duker ad Flor. I. 18. 4. sed hic proprie de duabus classibus locutus est. — Quo autem antiquae linguae ignarum fuisse Livium probat Kruse p. 46. et ante eum Palmerius (in spicileg. T. IV. p. 789. thes. crit. Gruter.), quod *Fusium* et *Vetusium* scribi miretur, (III. 4. cf. supra §. 16.) non ignoravit Livius idem nomen esse, id quod nec Ciceronem fugit [1]), sed ob eos, qui de viris diversis cogitaturi essent, observavit non nisi nominum immutationem esse, ita c. 8. "Veturius sive ille Vetusius fuit," (plane ut X. 8.) ipse

1) Apud Zosimum tamen II. 3. Valesius postea Valerius dictus est a *valere*; quasi hoc novum verbum esset, in quo postea a positum est.

autem cum antiquis loquitur II. 19. 28. et 30. ut XXXI. 18. et VIII. 3 et 9. Numisius pr. Numerius.

§ 52.

His igitur subsidiis minus bene instructus de omnibus rebus examini instituendo impar fuit, ut ubi de suo aliquid affert minor eius auctoritas sit, plerumque tamen hoc in fida narratione minus obfuit. Nec sollicitam de hac re curam prodit, cum et homines illis temporibus magis artem narrandi quam crisin historicam spectarent, nec ullum huius rei exemplum esset; nam Polybius etiam res quas attigit antiquae historiae (libro VI.) magis e communi fama hausisse quam accurata dubitantis diligentia examinasse videtur. Quod igitur Livii acumen et diligentiam in veris eligendis et diversis narrationibus diiudicandis attinet, in antiquissima historia vulgarem narrationem secutus nec dissensus auctorum, qui multi erant, commemorat, nec fabulosa ad veritatem historicam examinat; in quo non credulitatem et superstitionem eius accusamus, sed veritatem amamus, iudicium et dexteritatem in eorum causis inveniendis quae tamen vix exspectari poterat desideramus. In sequentibus temporibus consensui scriptorum numquam dubitationes opponit, ut omnino magis de auctoribus conferendis et componendis, quam de rebus diiudicandis sollicitus est. Ubi res non ab omnibus narratas videt incertas dicit et diffidere licere (I. 24. IV. 29. VIII. 18.) quia et verae et fictae esse possint (X. 26. VIII. 6. X. 18. XXIX. 25. etc.) illa pro certo habenda, in quibus non dissentiant; (IV. 6.) aut in narrationem suam eas non recipit, sed in fine tantum adiicit (IX. 42.) praesertim cum apud antiquiores non erant (III. 23.). Quae in veriore narratione eligenda sequatur ipse indicat (VIII. 40.) "nec facile est, aut rem rei, aut auctorem auctori praeferre." Quomodo de auctorum praestantia iu-

dicaverit, supra vidimus. In qua re cum plerumque sententia eius probanda esse videatur illud ei in rerum veritate invenienda vel confirmanda non raro obfuit, quod monumentorum auctoritatem non satis agnovit et aestimavit, ut nec curiose talia in annalibus commemorata conquisiverit [1]), nec in diiudicando satis multum iis tribuerit. Ita IV. 7. ubi coss. in annalibus omissos duo antiquiora monumenta confirmabant, tamen dubitat (c. 8. init. et fin.). Idem de tabula Laciniensi (Polyb. III. 33. 56. Liv. XXVIII. c. ult.) observatur (XXI. 38.) et saepius. — Quum autem narrationes secundum naturam rerum examinat, argumenta aut ex hominum qui res gesserunt animis et indole desumit (e. c. X. 3. 7.) aut e rerum verisimilitudine (I. 39. 55. II. 41. VII. 27. II. 18. VIII. 37. IV. 17. 49. VI. 38. 49. X. 46.) aut e causis historicis (X. 9. 26. 39. 52.) etiam temporum ratione (I. 18. quamquam de hac re iam plures ante eum disputasse videntur; cf. Cic. Tuscul. IV. 1. Dionys. II. 59. Plutarch Numa c. 1. sq.; fortasse etiam de Cassio II. 41. cf. Dionys. VIII. 79.) e testimonio legis (IV. 16. 3.) foederis (VIII. 26.) e fluminis natura (IV. 34.) e situ regionum et vestigiis remanentibus (XXI. 38. XXVI. 11. V. 33.) quae alicubi ipse oculis usurpavit (XXI. 47.). Et in his omnibus iudicium eius quantum nunc res perspici possunt rectum et cautum est. Probabile est, eum ibi quoque ubi nihil adnotat saepius narrationem, quae verisimilior videbatur, sequutum est, ut X. 17.; eamque mirabili praetulisse etiamsi hanc plures exhiberent. Ita narrationem de Servio, quam Livius praefert (I. 39. cf. IV. 3.) seriores habuisse videntur (cf. Niebuhr. I. p. 345.), illa, quam reiecit multo vulgatior erat, "Romanis litteris clara" (Plin. XXXVI. 27.) "ἐν ταῖς ἐπιχωρίοις

1) Libros linteos intra pauca capita l. IV. quater laudatos sine dubio saepius aliis etiam in locis adhibuerant Macer et Tubero.

γραφαῖς" Dionys. IV. 2. cf. et Ovidium in Fastis [1]). Idem in duabus narrationibus de CCCVI Fabiis fecisse videtur. Utramque in fide dignis annalibus esse Dionysius observat IX. 19. seqq. Incerta saepius consulto omisit ut tribunorum nomina (II. 33. 2.), de quibus non constabat, et quod Fabius et ceteri antiqui de XXX tribubus (Dionys. II. 15.) tradebant, sciens praetermisisse videtur (I. 43.) quoniam hoc cum narratione de XX tribubus (II. 21. etc.) conciliare non poterat. Aut explicat, unde diversa narratio, quam non sequitur, orta sit, et tunc vetustis quoque scriptoribus non credit (II. 8. IV. 61. 23. 6. III. 7. et X. 3. ubi tamen diversos annos confudisse videtur; cf. Pighius Annal. a. 458. et 457.). Modeste tamen suam sententiam ut coniecturam afferre solet non certum pronuntians (VI. 12. 29. 14.) sed animum inclinare etc. (I. 24. II. 18. IV. 49. etc.). Non solum Antiati numerisque ab eo auctis diffidit (III. 5. et saepius) sed de falsis quoque imaginum titulis et gentilium gloriae arrogantia suspiciosus est (IV. 16. VIII. c. ult. X. 7. fin. XXII. 31. etc.) Licinio Macro, quia familiae suae decus quaesivisse videatur non credit (VII. 9.) res a superstitiosis ad deorum iram repraesentandam fictas esse suspicatur VIII. 6. Quae omnia iudicium eius commendant.

§. 53.

Plerumque tamen, ut iam Quinctilianus (Inst. orat. II. 4. 19.) observavit, res dubias reliquit. Saepe post rem narratam addit, variare auctores (VIII. 40. X. 15. etc.) ita ut ipse de ea non iudicet, sed eam inter cetera vetustate incomperta in incerto relinquat (IV. 13. II. 4.) "decerni non posse (VIII. 39.) "utcunque factum est (X. 17. IX. 37. XXVI. 6.)" seu — seu (IV.

1) Postea ut fit eas inter se conciliabant, Ocriculanam non praegnantem fuisse cum caperetur; sed postea eo quem altera fabula narrabat modo apud Tarquinium gravidam factam (Zonaras VII. 9.)

12.). Tales dubitationes sunt etiam in seriore historia nimis multae, nonnumquam in rebus quas difficillimas et incertissimas esse queritur, etiam a nobis veritas inveniri potest (cf. II. 18. et 21. IX. 28.) ita XXXVIII. 56. (cf. Gell. VII. 19.) XXII. 61. (Gell. VII. 18.) et XXV. 17. XXVII. 27. IV. 23. In talibus autem annales ipse accurate sequitur. Ita IV. 20. quamquam inscriptio et lex illa de spoliis obstare videbatur tamen c. 32. annalium narrationem repetit. Parum referre dicit in diversis opinionibus (de coss. cognomine), quae vera sit (VIII. 18. 2.). Et nonnumquam, ubi aliquid verum non esse videbat, tamen id auctori tribuit, ut referret, ut in historiola ex Acilianis historiis hausta XXXV. 14.; et VIII. 18. "ne cui fidem abrogaverim." Saepius etiam iudicium eius falsum est, e. c. cum a Postumio filium occisum esse propterea negat, quia Postumiana imperia vulgo non dicantur. Ipse tamen eum severissimum imperii vocavit (IV. 26. 11.), et satis de hac re constabat; cf. §. 38. Et verisimilitudinis speciem nonnumquam falsam sequitur ut VIII. 37. de Apulis (cf. fast. triumphal.). De ethica ratione, quam in delectu narrationum spectaverit, et patriae amore vid. supr. §. 38. et 42. Aliis in locis negligenter annales exscripsit. Sed de his plura a me collecta et diiudicata sunt in posteriore commentatione, cum in altera illa maiore et prolixiore Livianae historiae parte multo plures loci occurrant, in quibus ut in seriore historia plus etiam de Livii iudicio exspectari poterat, et cum plures supersint scriptores tutius nunc etiam de eo quod adhibuit iudicari potest. Ita haec quoque non iniquius dicta videbuntur.

Apparet enim neque omnia idoneis testimoniis stabilita esse, cum nonnumquam ex recentioribus annalibus hauserit, nec omnes narrationes vero dissimiles aut falsas ab eo diligenter esse examinatas, nec in conferendis pluribus narrationibus iisque aut conciliandis aut una inde eligenda satis intentum ubique,

acre subsidiisque instructum fuisse eius iudicium, itaque non ubique res inextricabiles et incertas esse in quibus Livius haeret et caligat; propterea valde prodesse eius fidem, qua non solum eam, quam ipse praetulit, narrationem, sed diversas quoque saepius affert, sed eius iudicium nobis non ubique sufficere, eo tamen hoc damnum plerumque resarciri, quod bonos fontes fide sequi solet.

Sectio II.

§ 54.

Superest ad Livii fidem diiudicandam quaestio, quomodo in *forma operis et scribendi genere* annales secutus sit, et res ex iis haustas in opere suo composuerit et exposuerit, quid inde ad ipsum, quid ad fontes eius reduci debeat. Scriptores, quos sequitur, omnes ut in annalibus temporis rationem accurate sequentes singulorum annorum res sub coss. suis exponebant, (IX. 44.) ita ut raro annum vacuum transmitterent, (IV. 20.) sermone usi qui, ut e fragmentis apparet, Terentiano non multum antiquior est, simplici, inornato [1]), amplo et prolixo tamen iuniores praesertim. Non nude et stricte omnia narrabant, sed interdum etiam de iis philosophabantur (Fannius ap. Prisc. XIII. 566. Kr.), orationes quoque inserebant [2]), non solum vere habitas ut *Cato* in Originibus (Cic. Valer. M. Liv.) et

1) Sententiae non bene iunctae sunt, nec usus ille pronominum adest; cf. Piso ap. Gell. VI. 9. ubi quater nomen proprium, ter cum patris nomine repetitum, et eadem saepe aliis verbis repetita sunt.

2) Quippe plures eorum oratoria quoque laude florebant; Piso (Cic. Brut. 27.) etiam reliquit orationes, de Gellio v. ibid. de aliis supra diximus.

Fannius (Cic. Brut. 29.) sed quas iis tribuebant; cf. *Piso* ap. Gell. XI. 14. *Cn. Gellius* (Gell. XIII. 21.) *Coelius* (ap. Fest. v. topper, Nonius in pedato. cf. Avienum ap. Macrob. Sat. I. 6.) Ex oratione quoque desumtum est fr. ap. Priscian. VI. p. 221. Kr. fortasse et *Catonis* fr. e l. 1. ap. Nonium v. pedato. Ita Agrippae sermonem ad plebem Dionysio teste (VI. c. 83.) omnes habebant. Maharbalis verba iam apud Catonem et Coelium erant; cf. Gell. X. 24. et Liv. XXII. 51. qui in huiusmodi brevioribus sententiis nonnumquam ipsa annalium verba refert. Ita et XXV. 40. "Mutinem sibi modum facere etc." Publicolae orationem quidam annales exhibebant; e qua illud affert Dionys. V. 19. "licere Romanis e loco superiore lapidibus se petere etc." Iuniores longiores orationes inserebant; cf. de Licinio Macro Cic. de Legg. I. 2. et Liv. III. 22. 67. X. 26. — Eamdem operis formam Livius in historiis, quas ipse annales vocat (XLIII. 13. et Firmicus de error. prof. rel. p. 419. Ouzel.) plane retinuit, eo quoque quod incommodum in ea est, servato. Diverticula sedulo vitata, (cf. IX. 17.) historia cuiusque anni separata, ita ut nonnumquam quae expositurus est initio anni breviter recenseat, (e. c. V. 10.) raro ad praecedentia et sequentia respectu, nisi quod interdum sequentia praedicit, (III. 32. VI. 1. VII. 29.) uniformis, nulla intervalla notata quibus legentis animus requiescat, ne in librorum quidem finibus pars quaedam integra absoluta, narratio interrupta etiam in his X libris; ut e. c. Publilii rebus gestis VIII. 23. et 25. 2. illa de Alexandro Epirota interiiciuntur. Consulum nomina tamen non semper in fronte anni ponere studuit, sed aut ad comitiorum occasionem aut in media vel finita narratione interponere, unde aliquoties omissi sunt, et saepius expositionem rerum gestarum, quarum posterior pars in sequentem annum cadebat, coss. interpositis interrumpere noluit (cf. Drakenborch. ad II. 15. 1.).

Hac autem narrandi ratione servata eo maiore cum fide annales reddidit, praesertim id evitavit ne in primario argumento exponendo occupatus alia eodem tempore facta omitteret.

In ipsa quoque rerum expositione a scriptoribus, quos sequitur, valde pendet, non solum cum ita tradi, ita se invenire dicit, tunc enim iisdem fere verbis, brevius tamen narrare solet [1]), sed in simplici quoque narratione, etsi non tam presse hos sequatur, quam Graecum Polybium, tamen exornat eos magis quam immutat. Hinc autem explicatur illa narrationis et scribendi generis diversitas in diversis operis partibus conspicua, quae non tam ex humana natura animoque et ingenio scriptoris per annorum decursum mutato nec ex argumenti varietate quam e diversis a quibus pendet scriptoribus orta est. Aliter in his prioribus X libris res exponit et describit, aliter ubi Polybium sequitur, aliter in sequentibus, in quibus lactea illa ubertas multo maior fuit, in serioribus libris, quibus latam quamdam simplicitatem propriam fuisse e libri XC. fragmento potissimum perspicimus. (cf. Niebuhrii observationem in edit. fragm. Cic. Liv. etc. Romae 1820. p. 88.) Etiam in hac librorum decade in partibus e diverso fonte deductis oratio eius interdum valde inaequalis est brevitate et copia, et

1) Cf. IX. 46. cum Pison. ap. Gell. VI. 9. et in sqq. e Plinio XXXIII. 1. discimus quam fide annalium verba exhibeat. Ex hoc et aliis fragmentis apparet etiam, non de concisa brevitate sed de simplici incomtaque narratione intelligendum esse Ciceronis iudicium (de Orat. II. 12. de Legg. I. 2.) qui praeterea ceteros elevando sibi historiam scripturo blanditur, et ut orator loquitur in historia quoque illum dictionis ornatum desiderans, quem haud scio an nimium ipse attulisset.

commissurae, quibus iunctae sunt, nonnumquam apparent. Antiquitatis studio, ut ipse VIII. 11. indicat, saepissime veteres formulas et carmina annalium verbis affert, quod eo magis laudandum est, quia elegantioris elocutionis imprimis studiosi historici talia evitabant, ne oratio varietate multiformis suique dissimilis esset; Livius plerumque ita haec retulit, ut pro obsoletis illis linguae formis nonnumquam novas exhibeat. Multa tamen iam apud scriptores ad horum linguam innovata reperiebat, (cf. Cincium ap. Gell. XVI. 4.) oracula quoque numeris inclusa ita ab iis tradita accepit, ut ipse versus non agnosceret: V. 16. etc. Itaque non antiquissimas formas sed quibus annalium scriptores usi erant plerumque affert. Huc pertinent formulae I. 32. (dedier, siris, duello) I. 18. (acclarassis) foederis argumentum I. 24. (cuiusque populi pr. cuiuscunque; defexit) IX. 10. (quandoque hice homines pr. quoniam) I. 17. leges III. 55. et 64. (cooptassint) I. 26. Appii preces et votum (X. 19. duis) formula devotionis VIII. 9. et X. 11. (cf. Plin. H. N. XXVIII. 2. et Liv. X. 28.) inscriptio tabulae triumphalis VI. 29. quam etiam ex annalibus nec integram affert. Edicta quoque magistratuum iisdem fere verbis refert e. c. XXIII. 14. rogationes et plebiscita XXVI. 33. Scipionis preces XXIX. 27. Annales quos in his sequitur saepius non anxie ipsa verba attulerant, quare difficillimum et incertius est carmina illa vetera apud Livium numeris suis reddere et restituere, quod ab Alciato Parerg. V. 18. Scaligero ad Varron. de L. L. IV. p. 23. Walchio Emend. Liv. p. 256. sqq. Hermanno Elem. D. Metr. p. 614. sqq. sed diverso modo ab omnibus factum est; cf. Liv. V. 16. et XXVI. 12. carmina Marciana, quae ipsa corticibus inscripta (Symmach. ep. IV. 34) diu antea periisse videntur. Prodigia quoque iisdem fere verbis ex annalibus afferre solet (cf. e. c. III. 10. Dionys. X. 2.

et saepius). — Multa etiam verba ex annalibus retinuit ut antiqua, III. 5. 11. "subitarios milites; ita *tum* (tertio — scilicet — urbis saeculo) repentina auxilia vocabant. In annalibus autem idem verbum invenit et adhibuit quoque III. 30. 3. XXXI. 2. XL. 26. et 29. — V. de voce *paludamenti* quam I. 26. 2. ex antiquis annalibus retinuerit docte disputantem R. Ouwens Noctt. Hagan. I. c. 15. cf. locos e Varrone, libris auguralibus ap. Fest. et Lucilio citt. a Gronovio ad Liv. XLI. 10. Antiquitatis amore hoc quoque fecisse videtur, quem ipse saepius profitetur. L. XLIII. 13. "Et mihi vetustas res scribenti nescio quo pacto antiquus fit animus" cf. XXVI. 22. "Eludant nunc (nos) antiqua mirantes." Livium antique loquendi non insuetum plures observavere [1]. Quamquam eos minime imitabatur qui e Catonis Originibus aut e XII. tabularum saeculo vocabula colligebant, (Quinctil. VIII. 3. Sueton. August. c. 86.) quos Augustus oderat, nec Augustea aetas probabat, Livius etiam ridebat, ut ex eius dicto apud Senecam Controv. XXV. fin. et excerpt. e Controv. l. IX. decl. 2. apparet, quod mirum quam perverse explicuit Stuartus ad versionem Sallustii. Nonnisi ea retinuit quae a sui temporis lectoribus intelligi possent, et ipse nonnumquam difficiliora vocabula explicat, ut vocem *fani* X. 37. quem locum recte defendit Kreyssigius in Observatt. fascicul. I. et similia I. 24. et 32. (cf. Acta seminar. philol. Lips. II. p. 444.) Sed antiquas quoque verborum formas permultas ex annalibus retinuit. Huc pertinet, quod si*be* et qua*se* scripsit Quinctiliano teste I. 4. et 7. § 24. (cf. Gell. X. 24. Lanzi Saggio di lingua Etrusca I. p. 123. et antiqua monumenta) *ûm* pro orum et arum Charis. I. p. 41.

---

1) Ut Bergerus ille de naturali pulchritudine orationis p. 424. cf. 280. 503. Lipsius Quaest. epist. IV. 10.

pluvisse Priscian. I. p. 479. (Krehl) *quingesimus* II. p. 598. *carnis* pro caro VIII. p. 230. de quo haud scio an recte dubitet Schneiderus in Gr. Lat. II. 1. p. 148. et alia multa, quae partim hodie quoque in eius libris leguntur, partim ex antiquissimis codicibus, praecipue Leidensi I. et Lovel. I. restituenda sunt [1]). Sed ad ea quae per consuetudinem cum priscis scriptoribus habitam imbibit quasi et adamavit referas etiam amplitudinem et sermonis simplicitatem, macrologiam illam cuius exempla veteres grammatici e Livio afferre solent: Charis IV. p. 242. Diomed. II. p. 444. Quinctil. VIII. 3. §. 53. repetitionesque verborum nec ob vim et gravitatem nec perspicuitatis caussa sed ampla quadam simplicitate admissas nec apud Ciceronem aut quemquam bonorum tam frequentes. Exemplis tres paginas implevit Drakenborch. ad I. 3. cf. et Bauer Chrestom. Liv. ind. v. pleonasmus, et Ernest. lex. Liv. Sed annalium et chronicorum scriptoribus familiares erant. Piso ap. Gell. VI. 9. "in eo tempore — quo tempore etc.

Quamquam narrationis pulchritudini et operis formae non tantum quantum Dionysius indulsit (cf. Creuzer Hist. K. p. 219.) tamen dum scribendi arte vetustiores superare et lectorum taedium evitare (X. 31. VII. 12.) studet et ornatum verborum addidit (quod ibi praecipue ubi Polybium vertit perspicitur) et descriptiones fecit oratorias. Cum autem res praesertim si quae e brevioribus consignationibus haustae sunt pleniore et luculentiore narratione facillime immutentur et saepius vel uno verbo addito pervertantur, rarius tamen apud Livium rerum fidei obfuit elocutio, quoniam scriptoribus non ita succinctis usus est, plerumque plures inspexit, nec eloquentiae studium curae de rerum veritate praeposuit, et venustate qua-

1) Disserui de hac re in excursu III.

dam adspergit potius quam penitus imbuit et immutat, neque umquam ludit ac decipit ut aliquid dicat argutius [r]). Ita plerumque res exornat, ut agentium animos cum rebus gestis conferat, et interiora consiliorum animique motuum breviter indicet. Et videtur paulo aliter in his egisse quam in Polybio, quem quia Graece scripserat in multis fere totum transtulit, ita tamen ut ob linguae et Graecarum rerum peregrinam indolem et succinctam scriptoris brevitatem saepius explicationes et exornationes inserat, iisque nonnumquam etiam sensum pervertat, aut augendo eum quem sequitur superet. Romanos enim scriptores accuratius perspiciebat et liberius reddidit, saepius, ut observavimus, in epitomen eos contrahens. Nonnumquam etiam dum rudem illam et prolixam simplicitatem superare studet brevitatis gravitatisque studio ambiguus fit traiectionibusque impeditus est. (cf. Wyttenbach Bibl. Crit. III. P.XII. p. 27. sq.)

§. 55.

Magis ab annalibus recessit in orationibus (cf. Quinctil. X. 1. 32.) ingenio et eloquentiae indulgens, etiam Graecorum exemplaria imitatus, Thucydidem (VII. 30. cf. Thucyd. I. 32 - 36. et Bauer Chrest. Liv. p. 232. sq.) et alios (cf. Bibl. Crit. Amstelod. Vol. II. P. II. p. 49.). Non tamen iis assentiar quibus omnia ex ingenio hausisse videtur; ut nuper etiam Hirtio in *Leben des Curtius R.* p. 18. — Cum enim Dionysius quamvis orationes inserendi occasionem arripuerit, Livius nonnisi ibi eas ponit, ubi in annalibus aut recto aut indirecto ut apud

r) Joecherus in dissertat. de lactea Livii ubertate. Lips. 1746. sententiam suam male superstruxit Quinctiliani verbis X. 1. §. 32. "neque illa Livii lactea ubertas satis docebit eum qui non speciem expositionis sed fidem quaerit," quae cum tantummodo ad orationis genus quo caussidicus rem suam probare debeat spectent, Livii fidei nihil detrahunt.

Polybium fere sermone expositas invenit, nonnumquam eas quoque omisit [1]). Ita III. 47. antiqui auctores Appii orationem, qua sententiae suae praefatus erat, exhibebant (ex quo etiam de ceteris sermonibus eo loco allatis iudicari potest) Livius, quia nullam in tanta foeditate verisimilem invenerit nudum illud visum ponere dicit. Praecipue in antiquiore historia eas omisit non nescius antiquitatis imaginem quam proponit iis corrumpi, cum ipse saepius de breviloquentia et prisco horridoque dicendi genere et incomta Tempanii oratione loquatur. Itaque in prioribus libris singula verba, sententias prudentiae plenas, quam continuas orationes referre maluit. Erant qui Bruti orationem exhiberent [2]) (ut Dionysius quoque) v. Livius I. 60. qui ipse nonnisi argumentum breviter indicat. Ita V. 12. X. 19. 5. "Ibi orationes longiores habitae" X. 7. Interdum indirectum sermonem affert II. 52.

Argumentum orationum e scriptoribus hausit, ut in altera historiarum parte comparatio cum Polybio docet et ipse indicat

1) E. c. XXX. 37. (Polyb. XV. 19.) et in seriore tempore plerumque tum cum supererant orationes vere habitae: XLV. 25. XXXVIII. 54. XXXIV. 13.

2) Etiam Attius in Bruto; quae fabula haudquaquam pro unica antiqua cuius argumentum ex historia Romana desumtum sit haberi debet (cum Niebuhrio I. 324. Köpkio ad Plautum I. p. XLIII. et aliis). Iam Livius togatas tragoedias scripsit (Donat.) et C. Titius (Cic. Brut. 45.) Graecarum literarum rudis, et Pacuvius *Paullum* et alius *Marcellum* (Diomed. p. 487.) et Attius *Decium* (filium) non igitur omnia mythica sed historica, ut postea Materni Cato et Domitius (Auctor de c. corr. eloq.) et Octavia illa. Et cum illae fabulae ut Attii Brutus (Cic. ad Att. XVI. 5.) Ciceronis etiam temporibus in scena agerentur, sensim aliquid inde in historicorum descriptiones influere potuit; descriptiones puto non rerum argumentum, etsi iam Plutarchus τὸ δραματικὸν in Romuli historia agnoscat (c. 8.) et Dionysius III. 18. θεατρικὰς περιπετείας commemoret.

cum praefatur: Ita locutum accipio (III. 67. cf. c. 69.) narrasse fertur (II. 32; III. 39.) accepimus XXII. 39. XXXVIII. 47. etc. aut: in hanc sententiam locutus VII. 30. (ubi suo ingenio magis indulgere videtur) VI. 26. cap. 40. Multas historias quas in orationibus commemorat sine dubio ex annalibus hausit. (e. c. III. 19. cap. 57. etc.). Saepius etiam in orationibus alios auctores secutus aliter res exponit quam in historia ipsa. Ita IX. 34. Maenium intra X annos dictaturam abdicasse ex iis hausit qui hoc decimo anno ante factum ponebant; (cf. fast. et Perizon. Anim. Hist. p. 367.) ipse (c. 26.) eos secutus erat qui quarto inde anno accidisse narrabant. Idem fecit VIII. 14. Et VII. 32. 4. alios sequitur quam in ceteris; Graecos a Camillo in naves actos et ex Italia pulsos (c. 36. et c. 25.) cum Gallis confudisse videtur is, quem sequitur aut Livius ipse [1]). — VIII. 33. duo proelia commemorantur; ipse c. 30. cum antiquioribus *unum* fuisse putaverat; — XXXVI. 40. numerum caesorum affert, quem in Valerio reprehendit c. 37. ita et l. XXXVIII. 47. cf. c. 23. — XLII. 46. 6. liberorum regis discrepat a l. V. 27. — IX. 34. "sacrum a deo ipso institutum (ita plurimi narrabant Ovid. Fast. I. 579. Solin. c. 1. Serv. ad Aen. VIII. 271. Dionys. I. 39. sq. Cassius et libr. pontifical. in Orig. G. R. etc.) Livius ipse (I. 7.) aliter narravit: Evandrum instituisse et Potitios edocuisse. Etiam I. 55. 5., ubi cum Catone et Ovidio Fast. II. 669. consentit, discrepat a Camilli oratione ubi Iuventatem adiicit V. 54. 10. ut Dionys. Augustin. C. D. IV. 23. et qui Martem quoque addit Lactantius I. 20. — Praecipue annales sequitur in indirectis orationibus et brevio-

---

1) Heusingerus eum defendit collato c. 26. "inde Apuliam et mare superum petierunt," sed hoc est tractum qui est inter Apenninum et mare superum, ut IX. 2. via inter Calatiam et Luceriam dicitur praeter oram superi maris esse; nec Galli naves habebant.

ribus sermonibus ut e X. 34. 6. apparet, cf. Decii allocutionem ad pontificem VIII. 9. "pontifex publicus (vocativus antique) et Tulliae sermonem I. 41. cum Ovid. Fastor. VI. 589. sqq. Vae victis V. 48. cf. Dionys. Mai. XIII. 13. et Herdonii verba "habiturum infortunium" v. de hoc l. disputantem Francium (in Hausii *Philologie* St. 1. p. 171. sq.). Argumentum autem e scriptoribus desumtum praecipue in longioribus orationibus oratoria libertate tractavit; ut in Camilli oratione, cuius argumentum, et orationis quoque rudimentum quoddam in annalibus invenit (cf. Liv. V. 55. init. Plutarch. Camill. c. 31.). Hinc factum est ut plura verbis exaggerata, et minus accurate dicta sint, id quod fidei rerum commemoratarum detrahit. Ut II. 19. 5. "iterum ac *tertium* trib. (cf. IV. 3. 1.) — VI. 6. 2. "dictatorem iam *quartum* — IV. 5. 3." sororis filios regis, ubi Collatinus intelligendus. — VIII. 4. "ducentorum annorum morem solvisse" etsi haec tanta non est repugnantia quanta Niebuhrio videtur [1]), *orator* totum temporis spatium computat ex quo hic mos interdum bellis interruptus duraverat, neglectis his intervallis. Immerito accusari puto III. 39. Valeriis Horatiisque ducibus, cum egregia fuerit et Horatii opera (Dionys. IV. 85. et V. 21. sq.) — et XXIII. 5. Campanorum aequum foedus, quamquam contradicere videatur deditioni (VII. 31.). Sed obtulerant deditionem, itaque non inique tractati sunt, sed civitatem sine suffragio acceperunt, ut Livius ipse VIII. 14. XXIII. 5. et XXXI. 31. 11. docet et Fabius Pictor ap. Oros. IV. 13. Polybius II. 24. necnon id quod tota legio e Campanis est. (Polyb. I. 7. Liv. epit. XII. etc.) Praefectos sibi mitti ipsi expetiverunt (IX. 20.) quod tamen mox intermissum esse

1) II. 493. *bedarf es einer weitern Rechtfertigung wenn wir uns von Livius Inconsequenz, Flüchtigkeit und Widersprüchen unabhängig machen, sein Urtheil über die alte Geschichte ganz verwerfen?*

videtur. Sed temporum quoque nonnumquam immemor est. Cf. XXXIV. 5. 3. ergastulum II. 23. 6. et in Scipionis et Hannibalis orat. XXI. 40. et 43. (cf. Ruben. Elect. I. 25.) XXIII. 13. (cf. Walch. Emend. Liv. p. 216.) V. 4. comparatio belli Troiani, etsi seriores annalium scriptores iam haec inter se contulerant. Nonnumquam etiam personae loquentis oblitus est ut XXIII. 12. a priore Punico bello. Inde apparet etiam de rebus et historiis quae in orationibus commemorantur cautius ei fidem habendam esse. Liberior et oratorius sermo etiam in comparatione Alexandri cum Romanis (IX. 17. sq.) est, in qua nullos scriptores sequitur, et oratorias rerum exaggerationes non evitavit. (c. 18, 9. 19, 2. sq. § 6. § 15. cf. interprett. et supr. p. 88.) [1]).

---

1) Excursus quos promisi tres alteri commentationi adiicientur.